DE CENSU QUIRINIANO

ET

ANNO NATIVITATIS CHRISTI

SECUNDUM LUCAM EVANGELISTAM

DISSERTATIO,

quam, Deo bene vertente, pro licentia docendi, in Facultate Theologiæ evangelicæ academiæ parisiensis

A. D. 1883, die . . . . hora a. m. X, publice defendet

H. LECOULTRE

LAUSANNÆ

TYPIS GEORGII BRIDEL

1883

DE CENSU QUIRINIANO

ET

ANNO NATIVITATIS CHRISTI

SECUNDUM LUCAM EVANGELISTAM

DE CENSU QUIRINIANO

ET

ANNO NATIVITATIS CHRISTI

SECUNDUM LUCAM EVANGELISTAM

DISSERTATIO,

quam, Deo bene vertente, pro licentia docendi, in Facultate Theologiæ evangelicæ academiæ parisiensis

A. D. 1883, die 19 julii *hora* p. *m.* IX, *publice defendet*

H. LECOULTRE

LAUSANNÆ

TYPIS GEORGII BRIDEL

1883

Præside viro s. v. Aug. Sabatier,

Solemne publicum examen moderabuntur triumviri doctissimi,

A. SABATIER, P. P. O.,
E. STAPFER,
E. VAUCHER, PP. PP. EE.

Viris doctis

IVL. LE COVLTRE

lic. litt., doct. phil., litt. græc. et lat.
prof. in gymn. novocastrensi,

IVL. NICOLE

lic. litt., litt. græc. prof. ord.
in univ. genevensi,

frater fratri, cognatus cognato, amicus amicis.

FONTES HUJUS DISSERTATIONIS PRÆCIPUI

Aberle. Ueber den Statthalter Quirinius. (Idem habes in Tüb. Theol. Quartalschrift, 1865.)
Allix. Diatriba de anno et mense natali Jesu Christi. 1722.
Casaubon. De rebus sacris et ecclesiasticis exercitationes. 1655.
Caspari. Chronologisch-geographische Einleitung in das Leben Jesu Christi. 1869.
Duruy. Histoire des Romains, tom. III et IV. 1881, 1882.
Ebrard. Wissenschaftliche Kritik der evangelischen Geschichte. 2. Auflage 1850.
Gerlach. Die römischen Statthalter in Syrien und Judäa. 1865.
Hausrath. Neutestamentliche Zeitgeschichte. 1868-1874.
Humbert, sub verbis *censor* et *census* in *Daremberg* et *Saglio,* Dictionnaire des antiquités. 1873.
Huschke. Ueber den zur Zeit der Geburt Jesu Christi gehaltenen Census. 1840.
Lange. Römische Alterthümer, 3. Auflage. 1876.
Lewin. Fasti sacri or a key to the chronology of the N. T. 1865.
Lutteroth. Le recensement de Quirinius en Judée. 1865.
Lutteroth, sub verbo *Dénombrement de Quirinius* in *Lichtenberger,* Encyclopédie des sciences religieuses.
Marquardt. Römische Staatsverwaltung. 1873-1878.
Mommsen. Römische Geschichte, 5. Auflage. 1868.

Mommsen. Römisches Staatsrecht. 1874.
Mommsen. Res gestæ divi Augusti. 1865.
Quandt. Chronologisch-geographische Beiträge zum Verständniss der heiligen Schrift. 1872-1874.
Reuss. Histoire évangélique. (La Bible, traduction nouvelle, etc. N. T. pars Ia.) 1876.
Riess. Geburtsjahr Christi. 1880. (Hoc opusculum tali modo signabimus : *Riess I.*)
Riess. Nochmals das Geburtsjahr Jesu Christi. 1883. (*Riess II*[1].)
Schegg. Das Todesjahr des Königs Herodes und das Todesjahr Jesu Christi. 1882.
Schuerer. Neutestamentliche Zeitgeschichte. 1874.
Sevin. Chronologie des Lebens Jesu. 1874.
Seyffarth. Chronologia sacra. 1846.
Tholuck. Glaubwürdigkeit der evangelischen Geschichte. 1837.
Wieseler. Beiträge zur richtigen Würdigung der Evangelien. 1869.
Wieseler. Chronologische Synopse der vier Evangelien. 1843.
Zumpt. Geburtsjahr Christi. 1869.

[1] Plerumque autem numero romano signabitur editio, ita ut Tisch. VIII idem significet quod Tischendorfiana N. T. editio octava (critica major).

PROŒMIUM

Locus Novi Testamenti de quo disserturi sumus sic legitur :

Lc. II, 1. Ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐξῆλθεν δόγμα παρὰ Καίσαρος
Αὐγούστου, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. 2. αὕτη ἀπογραφὴ πρώτη ἐγέ-
νετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. 3. καὶ ἐπορεύοντο πάντες ἀπογράφεσθαι,
ἕκαστος εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. 4. ἀνέβη δὲ καὶ Ἰωσὴφ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἐκ πόλεως
Ναζαρὲθ εἰς τὴν Ἰουδαίαν εἰς πόλιν Δαυὶδ ἥτις καλεῖται Βηθλεέμ, διὰ τὸ εἶναι
αὐτὸν ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαυίδ, 5. ἀπογράψασθαι σὺν Μαριὰμ τῇ ἐμνηστευ-
μένῃ αὐτῷ, οὔσῃ ἐγκύῳ. 6. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ εἶναι αὐτοὺς ἐκεῖ ἐπλήσθησαν αἱ
ἡμέραι τοῦ τεκεῖν αὐτήν, 7. καὶ ἔτεκεν τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, καὶ ἐσπαρ-
γάνωσεν αὐτὸν καὶ ἀνέκλινεν αὐτὸν ἐν φάτνῃ, διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ
καταλύματι.

Quod sic vertit Hieronymus :

1. Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare
Augusto, ut describeretur universus orbis. 2. Hæc descriptio
prima facta est a præside Syriæ Cyrino; 3. et ibant omnes ut
profiterentur, singuli in suam civitatem. 4. Ascendit autem et Jo-

seph Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David,
5. ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.
6. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.
7. et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit et reclinavit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diversorio[1].

Ut ἀπογράφεσθαι et ἀπογραφή eisdem verbis latinis vertantur, dicamus potius versu primo : *ut census haberetur universi orbis ;* versu altero : *hic census primus factus est ;* versu tertio : *ut censerentur ;* versu quinto : *ut censeretur*, quanquam non ignoramus ἀπογράφεσθαι versibus tertio et quinto media voce dici ita ut significet idem quod *profiteri.* Versu altero, quoniam αὕτη ad ἀπογραφή non ita refertur ut idem declaret quod *hic census* (*ce recensement*), versionem Hieronymi ita mutemus : *hic factus est census primus* (*ce fut un premier recensement fait lorsque*, etc.) de qua re postea disseremus. Quum sit ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου genitivus absolutus, falsa nobis videtur præpositio *a*, et vertimus : *obtinente Syriam Quirinio.*

[1] Textum adhibuimus Vulgatæ secundum Clementinam editionem, apud Stierium et Theilium in Biblia Polyglotta. Codex Amiatinus, v. 2, omittit *a*. Ceteræ lectiones nullius sunt momenti.

CAPUT I

De interpretatione verborum Lucæ.

De hujus loci sensu in universum.

Vix necesse est ut dicamus nullam rem in his versibus narrari, nisi Joseph et Mariam iter semel fecisse a civitate Nazareth in civitatem Bethlehem propter censum Augusti jussu habitum quum Quirinius Syriam obtineret, et eodem tempore natum esse Christum. Dissentit tamen magnopere ab hac opinione solus Lutteroth, arbitrans verbis ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις non significari in universum tempus quum angelus Zachariæ et Mariæ missus, et Johannes natus sit, quæ res in capite superiore narrantur, sed proprie tempus his verbis indicatum : ἡμέρα ἀναδείξεως αὐτοῦ (Johannis) πρὸς Ἰσραήλ (I, 80); hanc autem ἀνάδειξιν non initium ministerii Præcursoris esse, sed primum ejus iter Hierosolymitanum quum Paschæ solemnium particeps fieret. Quum enim erant duodecim annos nati, fas erat ut adolescentes primum sese eo referrent, quare fiebant *filii præcepti*[1]. Putat igitur Lutteroth eodem anno quo Johannes Baptista duodecim annos natus, primum Hierosolymam ascenderet, propositum esse edictum Cæsaris de censu, et Joseph Bethlehem iter fecisse ut censeretur ; Jesum autem

[1] Cf. rabbinicos locos ap. Lutterothium o. l. p. 33 et sq.

tunc non minus quam undecim annos et dimidium natum esse, quoniam sex mensibus minor esset Johanne; evangelistam vero quum nondum eum natum narraverit, ad hanc rem versu sexto redire et quæ evenerint undecim aut duodecim annis ante Quirinii censum narrare.

Quæ ex arte confectæ rationes interpretandi multis argumentis infringi possunt, quorum præcipua affero.

1° Cærimoniam quandam significari verbis ἀνάδειξις πρὸς τὸν Ἰσραήλ, qua dies celebraretur quum juvenes Israelitæ quasi civitatem in sacris acciperent, eamque cærimoniam ipsam extitisse nullo modo a Lutterothio comprobatur. Hæc verba potius interpretanda sunt ut ad manifestationem divinam Johannis pro populo pertinentia, quum pœnitentiam et Messiæ adventum prædicare incepit; ἦν ἐν ταῖς ἐρήμοις ἕως [ταύτης τῆς] ἡμέρας ait evangelista. Quod confirmatur loco III, 2, 3; quo dicitur Johannes adhuc in deserto esse quum vocationem divinam acceperit.

2° Versu quinto Lutterothio vertendum est : *cum Maria quam prægnantem uxorem duxerat*, quod Lucas si ita putasset, facillime lucidius declarasset. Neminem fugit participio perfecto ἐμνηστευμένη II, 5 et I, 27 non significari Mariam desponsam fuisse Joseph, nec jam esse, quoniam nupta esset; imo vero adhuc sponsam ejus esse.

3° Versu sexto vertit Lutteroth : Hic erant *quoque* quum impleti sunt dies ut pareret; sed Lucas, ut indicasset plus undecim annis antea facta se repetere, plusquamperfectis, non aoristis ἐγένετο, ἐπλήσθησαν usus esset. Ἐγένετο δέ autem connexum nobis videtur cum eisdem verbis, quæ II, 1 scripta, illud ἐγένετο I, 5 excipiunt ipsa.

4° Lutterothii conjectura non exposuit Lucas cur Bethlehem natus sit Jesus, quamvis parentes ejus Nazareth habitarent (I, 26, 27) et cur omnes post eum natum Nazareth sint regressi (II, 39).

Nobis haud dubium est quin hoc loco narret Lucas quas ob causas, quum Jesus natus sit, Joseph et Maria Bethlehem iter fecissent. Quas causas ut diligenter excutiamus, scrutandum est primum, nonnullis rebus explicatis quæ ad grammaticam et lexicologiam pertinent, quid ea narratione demonstretur, deinde utrum res narrata congruat an non cum aliis scriptis vel profanis vel sacris, vel cum ipsius Lucæ testimoniis.

De singulorum verborum hujus loci interpretatione, versu altero excepto.

1° Hæc verba ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις pertinent igitur non ad tempus manifestationis Johannis coram populo, quicquid significatur hoc modo (scriptum esset enim ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις), sed ad ea quæ capite primo narrantur, id est ad annuntiationem et ad nativitatem Præcursoris. Patet ergo, si Lucam sequeris, edictum Cæsaris intra quindecim menses ab annuntiatione ad Zachariam factam usque ad Jesu natum prolatum esse.

1° De verbis ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις:

2° Versu primo ἡ οἰκουμένη vim habet *imperii romani*. Proprie designatur hac voce mundus, aut saltem mundus qui incolitur, ut Lc. IV, 5; Act. XVII, 31; XIX, 27; Mt. XXIV, 14; Rom. X, 18; Hbr. I, 6; Ap. III, 10, XII, 9; et apud LXX interpr. Ps. IX, 9 et al., ubi תֵּבֵל vertitur. Sic adhiberi eo loco de quo disserimus arbitratur Marquardt[1], quam ob causam notatione mythi narrationem Lucæ inurit. Sed græci scriptores imperii romani utuntur voce οἰκουμένη non aliter quam Latini voce *orbis terrarum* pro *imperio romano*. Sic Josephus (c. Ap. II, 4): οἱ κύριοι νῦν Ῥωμαῖοι τῆς οἰκουμένης[2]; Act. XVII, 6 et XXIV, 5 usurpatur hæc vox pro imperio romano ab apostolorum accusatoribus pro magistratu. Nec video cur non hic eodem sensu accipienda sit.

2° De verbis πᾶσαν τὴν οἰκουμένην.

Significationem autem οἰκουμένης Rob. Stephanus [3], Lewin [4],

[1] O. l. vol. II, p. 205, ann. 2.

[2] Vide alia exempla apud Meyerum VI ad h. l. et in *Thesauro* Stephani ad v. οἰκέω.

[3] *Explication familière des Evangiles*, ad h. l.

[4] O. l. 835.

Meyer I [1] ita circumscribunt ut provinciæ vim habeat, hoc loco Judææ. Quam opinionem Olshausen [2] tutatur voce hebraica כָּל־הָאָרֶץ; Wahl, [3] locis Lc. XXI, 26, Act. XI, 28, Jos. Antt. XIV, 7, 2. Sed his ipsis locis orbem terrarum designat οἰκουμένη. Eodem modo Jos. Antt. VIII, 13, 4 (cf. 1 Reg. XVIII, 10) quamvis hic non sine hyberbola adhibeatur. Wieseler [4] circumscribit οἰκουμένην ad provincias omnes, Italia exclusa, quod non verbis a Luca adhibitis indicatur.

3° De verbis εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν.

3° Τὴν ἰδίαν πόλιν habent T. R., Tisch. VI, Stier, Meyer V. Legunt ex ℵ^c B D L Ξ Tisch. VIII, Meyer VI, Lachmann τὴν ἑαυτοῦ πόλιν. Idem utroque modo significatur, quum adjectivus ἴδιος sæpius in N. T. usurpetur pro pronomine possessivo. (Mt. XXII, 5, ὃς μὲν εἰς τὸν ἴδιον ἀγρόν, ὃς δὲ ἐπὶ τὴν ἐμπορίαν αὐτοῦ; conf. Mt. XXV, 14; Jo. I, 42, al.; Prov. XXVII, 8.) Quicquid legitur, vertendum est : Ibant singuli in *suam* civitatem (Hieronymus, Luther, Ostervald, Oltramare, Segond, etc.) non : in *propriam* civitatem (Rilliet). Sed quid intelligendum est voce *sua civitas*?

Plerique interpretes (Meyer, Bleek [5], van Oosterzee [6], Keil [7], etc.) putant propter v. 4 urbem esse unde quisque ortus sit. Vox ἴδιος per se ipsam hoc non significat, ut patet per locum Mt. IX, 1 quo ἰδία πόλις Jesu Capernaum nullam ob causam vocatur, nisi quod hic habitaverat. (Mt. IV, 13; conf. Mc. II, 1.)

Diceturne hic ἰδίαν πόλιν eam Lucam appellare civitatem ubi ex verbis edicti quisque censeri *debuerit*, quæ civitas ex v. quarto ea fuerit unde familia suam originem duxerit? Verisimillimum videtur, quanquam ex textu non constat munus fuisse

[1] *Krit.-exet. Commentar* ad h. l.
[2] *Commentar* ad h. l.
[3] *Clavis N. T.* ad v. οἰκουμένη.
[4] *Beiträge*, p. 20,
[5] *Synopt. Erklärg der 3 ersten Evang.* ad. h. l.
[6] *Das Evang. des Lukas* in Lange *Theol.-homil. Bibelwerk.*
[7] *Comm. über die Evang. des Markus und Lukas.*

cujusque huc se referre. Nihil aliud dici potest, nisi Israelitam quemque in urbem quandam iisse, ubi censeri *potuerit* et ad quam pertinuerit aut quod inde ortus esset, aut quod ibi natus esset aut habitavisset, aut aliam ob causam. Joseph autem civitas, id est civitas quo se censendum protulit, erat vicus ille unde originem nobilissimam ducebat.

4° Versu quinto σὺν Μαριὰμ τῇ ἐμνηστευμένῃ utrum cum ἀπογράψασθαι cui proximum accedit, an cum ἀνέβη versus quarti se jungit? Utrum Joseph cum Maria ascendit, an idem ascendit ut cum Maria censeretur? Patet ad utrumque referri, et ad ἀπογράψασθαι propter proximitatem (Meyer V, Bleek, de Wette) et ad ἀνέβη propter sensum totius loci. Lutteroth, ut tempus, quum Joseph Bethlehem petiisset ob Quirinii censum, accuratius sejungat a tempore quum Joseph et Maria in eadem urbe versarentur Jesu nascente, σὺν Μαριὰμ tantum cum ἀπογράψασθαι jungit et putat solum ascendisse Joseph, sed censum esse cum uxore, id est nomen uxoris professum esse. Cui assentiri non possumus, et textu nobis patet Mariam Bethlehem affuisse quum Quirinius censum habuerit. Alii (Meyer VI, Ebrard, Wieseler, Godet) σὺν Μαριὰμ tantum cum ἀνέβη jungunt, ut lucidius demonstretur non coactam esse Mariam cum marito iter facere. Dispiciemus postea quæ ad rem ipsam attinent, sed quam utile hoc sit ad verborum interpretationem non videmus. Non intelligendum est ex textu Mariæ ascendendum fuisse Bethlehem ut suo nomine ad census ministrum sese proferret, sed tantum Joseph quum censendus esset cum Maria, id est nomen uxoris profiteri deberet, Bethlehem cum eadem ascendisse (Keil.).

4° De verbis σὺν Μαριὰμ τῇ ἐμνηστευμένῃ αὐτῷ.

5° Versu septimo κατάλυμα [1] quod vulgo gallice vertitur *auberge, hôtellerie* vim habet *deversorii* ut vertit Hieronymus, sive *hos-*

5° De verbo κατάλυμα.

[1] Mœris Atticista : καταγώγιον καὶ κατάγεσθαι ἀττικῶς· κατάλυμα καὶ καταλύειν ἑλληνικῶς. Hesychius : κατάλυμα· οἴκημα, καταγώγιον. Suidas : κατάλυμα· ἡ οἰκία.

pitii, sive *cauponæ;* non est per se publicum sicut πανδοχεῖον (Lc. X, 34), quod ex loco Mc. XIV, 14 elucet, in quo Jesus rogare jubet: ποῦ ἔστιν τὸ κατάλυμα ὅπου τὸ πάσχα... φάγω; apud LXX adhibetur 1 Sam. IX, 22 pro *cella* (לִשְׁכָּה); Jer. XXXIII, 12, Ex. XV, 13 pro *habitaculo* (נָוֶה); Jer. XXV, 38 pro *umbraculo* (סֹךְ).

6° De versu altero *a*) de lectione codicum.

6° Servavimus ad finem versum alterum qui præcipuus est, et de quo maxime dissentiunt interpretes. Antequam sententias diversas exponamus, nonnulla sunt dicenda de textus discrepantiis quæ ad sensum pertinent.

א B D Meyer VI, Tisch. VIII, Lachmann, Wieseler, Rilliet, Marquardt articulum ἡ inter αὐτή [vel αὕτη, de qua re postea disseremus] et ἀπογραφή demunt[1]; servant autem א^c A C L R ΓΔΛ, etc. Steph., Tisch. VI, Godet[2], Schuerer, Meyer V, de Wette III, von Gumpach[3], Ebrard, Bleek, Quandt, van Oosterzee, Bonnet[4], Oltramare, Köhler[5]. Si articulum tollimus, difficilius interpretamur locum quam in T. R., sed non est hæc lectio contra Lucæ usum, imo vero locum simillimum nec multo distantem invenimus I, 36 οὗτος μὴν ἕκτος ἐστὶν αὐτῇ τῇ καλ. στείρᾳ[6]; itaque præferenda nobis videtur. Non est magni momenti discrepantia codicum de sequentium verborum compositione. א* habet ἀπογραφὴ ἐγένετο πρώτη, quod accipiunt Tisch. VIII, Wieseler; D ἐγένετο ἀπογραφὴ πρώτη; denique cett. codd. ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο quod accipimus cum Tisch. VI, Lachm., Godeto, Schuerero, Meyero VI. Vario modo græce scribitur nomen Quirinii (A Κηρυνιου B* Κυρεινου, B^3 It. Vg. Κυρινου seu Cyrino), quod majoris momenti non est.

[1] א habet ΑΥΤΗΝ ΑΠΟΓΡΑΦΗΝ quod nullam significationem habet, sed ^a nisi et ipse * restituit αυτη απογραφη.

[2] *Commentaire sur l'évangile de saint Luc*, ad h. l.

[3] In *Theol. Studien und Kritiken* a. 1852, pag. 666 sqq.

[4] *Le N. T. expliqué au moyen d'introductions*, etc., ad h. l.

[5] Sub verbo *Quirinius*, in Herzog *Realencyclopädie*.

[6] Conf. Lc. XXIV, 21 τρίτην ταύτην ἡμέραν; Jo. IV, 54 τοῦτο πάλιν δεύτερον σημεῖον; 2 Pt. III, 1 ταύτην δευτέραν ἐπιστολήν.

Non solum discrepant inter se codices, sed hunc versum vario modo emendarunt interpretes, ut nonnulla saltem impedimenta rei ipsius discutere. Beza in prima editione suarum Annotationum ad N. T. (1556, 1559, 1560)[1] et Olshausen, qui tamen proprie negat quicquid in N. T. legendum esse contra codices, versum rejiciunt tanquam additum a lectore quodam ignaro. Alii convertunt Κυρηνίου in Κυϊντιλίου (Huet, L. Cappel), aut Σατουρνίνου (Valois), aut Κρονίου = Saturnini (Heumann). Michaëlis suspicatur post ἐγένετο excidisse πρὸ τῆς. Venema legit : αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη· [ἡ β'] ἐγένετο ἡγ. τ. Σ. Κυρ. Doddridge sic versum restituit : αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη [Σατουρνίνου, δευτέρα δὲ] ἐγένετο ἡγ. τ. Σ. Κυρ. Quæ rationes omni lege carent; quamvis enim conjecturis utantur interpretes, quæ non codicibus nituntur, ut locos ornatissimorum interpretentur scriptorum, qui non intelligi possunt et manifesto false scripti sunt, valde dubium est num inire hanc viam liceat quum historia, ut nunc, agatur. Semper enim arbitrari possumus errasse auctorem ipsum, præsertim si non historiæ scribendæ vitam impenderit. Præterea, quod ad N. T. pertinet, sunt plures codices temporum et generum diversorum quam ut discrepantiis scripturæ conjecturas interpretum addamus.

Antequam de hujus versus interpretatione disceptemus, considerandum est utrum prima vox αὕτη an αὐτὴ scribenda sit. Quod dubium esse non potest, nisi servetur articulus ante ἀπογραφή; si tolletur, scribendum erit αὕτη; nam et αὐτός cum substantivo communi sine articulo non jungitur, et αὐτὴ subjectus, ἀπογρ. πρ. autem prædicatus haberi non potest, tum quod substantivus

b) Utrum legendum sit αὕτη an αὐτή.

[1] Testibus Casaubono (o. l., pag. 116 *a*), Meyero v, Tholuckio (o. l., pag. 181). Non hanc editionem inspicere potuimus; a. 1565 de hoc versu sublato Beza dicit : Hoc quidem est nodum secare potius quam solvere. Absit autem ut vel apicem unum immutem, nedum quicquam detraham. Annis 1594 et 1598 non jam abolitionem affert, atque docet ex Justino Martyre (*Apol.* I, cap. 34) ἡγεμονεύων pro procuratore [ad census] dici.

antea non ponitur, tum quia dubium est num feminina αὐτή, αὐταί adhiberi possint in nominativo pro pronomine personali [1].

Si legimus αὐτὴ ἡ ἀπογραφὴ πρώτη (Hofmann [2], Ebrard [3], Tisch. VI, Godet, van Oosterzee), id est census ipse, per oppositionem adhibetur pronomen, sed altera parte caret ἀντίθετον; si autem prævalet πρώτη, illud videtur Lucas urgere alterum censum vel plures census factos esse postea. De qua re quum nusquam in evangelio aliquid inveniamus, auctor hoc significare voluisse non potest. Plerique quidem eorum qui αὐτή scribunt, putant αὐτὴ ἡ ἀπογραφή et ἀπογράφεσθαι versus 1 et 3 contraposita esse, ejusdem originis et ejusdem significationis voces, quod concedere non possumus. Verisimilius dici potest censum ipsum, vel ejus effectum, decreto per quod jubetur, versu superiore laudato, oppositum esse. Sed si ita res essent, nonne αὐτὴ δὲ ἡ ἀπ. scriptum esset? Simplicius igitur scribitur αὕτη ἡ ἀπ., i. e. hic census. (It. Vg. Luther, Segond, Lutteroth, Köhler, von Gumpach, Tholuck, Bleek, Quandt, van Oosterzee, Bonnet, Oltramare.)

Wieseler quidem vertit αὕτη ἡ ἀπ. *talis census*, quod idem esse debet ac *sic*, vel *ex hoc decreto* Cæsaris factus est [postea] census [in Judæa] primus; sed nullo exemplo οὗτος pro *talis* in N. T. adhibitum esse probat.

Si autem tollendus est articulus, ut nobis melius visum est, prædicative dicetur ἀπογραφὴ πρώτη, et αὕτη subjectus fiet, qui per attractionem cum prædicato jungitur: *hic factus est primus census*. Non pervincit quod contra hanc interpretationem affert Ebrard.

c) De verbi ἀπογραφή sensu.

Quamquam harum lectionum: αὕτη ἡ ἀπογ., αὐτὴ ἡ ἀπογ., αὕτη ἀπογ., anteponas, contendendum est versu altero hanc eamdem

[1] Cf. Wilke-Grimm, *Clavis N. T.* ad v. αὐτός.
[2] *Weissagung und Erfüllung*, vol. II, pag. 54.
[3] O. l. § 40.

rem significari, quæ versu primo ut ab Augusto jussa, et versu tertio ut in Palæstina curata indicetur.

Cui opinioni adversatur Ebrard[1]; non concedit eamdem vim ἀπογραφή et ἀπογράφεσθαι habere, sed hac voce censum ab Augusto jussum v. 1, et parvo tempore postea habitum v. 3 significari; ἀπογραφήν autem proprie dictam (αὐτὴ ἡ ἀπογραφή) vectigalium exactionem esse, quæ postea ex censu facta sit. Auctor est scholiasta Platonis ad Leg. VIII (extr.) dicens : ἀπογραφή ἐστιν ἡ ἀπαρίθμησις ἢ ἀποσημείωσις τῶν ὀφειλομένων εἰσφορῶν ἑκάστῳ τῶν πολιτῶν, καὶ ἀπογραφεῖς οἱ ταύτην ποιοῦντες καὶ τοὺς μὴ βουλομένους εἰσφέρειν εἰσάγοντες εἰς τὸ δικαστήριον. (Cf. Nic. Chon. Ann. p. 132[2] : ἀπογραφαῖς τε καὶ φόροις τὰ χρήματα ἐκδαπανῶν ἀσυνήθεσι.) Quæcumque sit horum exemplorum auctoritas (alia non affert Stephanus, quibus Ebrard niti possit), non poterat Lucas hoc loco uti voce ἀπογραφή, ut vectigalium exactionem censui appositam diceret. Constat enim ἀπογραφήν plerumque et hominum et rerum ipsum censum significare. Vetus Itala et Hieronymus vertunt hoc loco ἀπογραφήν *professionem* aut *descriptionem*, quæ voces idem valent et ad vectigalium collationem non pertinent. Item Suidas : ἀπογραφή· ἡ ἀπαρίθμησις· ὁ δὲ Καῖσαρ Αὔγουστος... εἴκοσιν ἄνδρας ἐξέπεμψε δι' ὧν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῶν τε ἀνθρώπων καὶ τῶν οὐσιῶν ; et Hesychius : ἀπογραφή· ἀρίθμησις ἢ ἡ γινομένη μήνυσις. Voce ἀπογραφαί utitur Dio Cassius[3] pro censu civium romanorum[4]. Græcus translator Monumenti Ancyrani verbum ἀποτείμησις usurpat[5], sed Josephus sine discrimine

[1] O. l. p. 277 et sqq.

[2] In Steph. *Thesauro* ad v. ἀπογραφή.

[3] *Hist.* LIII, 1 ; LIV, 35 ; LV, 13.

[4] Stephanus : ἀπογραφή· census, professus, professio, descriptio, conscriptio verti potest apud Lucam II, 1 sqq. Est enim descriptio, partitio et digestio in ordines, aut familias, aut civitates, aut tribus, aut centurias. Wilke-Grimm (Clavis N. T.): ἀπογραφή· perscriptio capitum et quotquot iis essent facultatum redituumque in publicas tabulas, ut inde fieret ἀποτίμησις. Item Marquardt, o. l. vol. II, p. 212.

[5] Col. 4, l. 11 sqq.

voces ἀποτίμησις et ἀπογραφή adhibet, ubi de Quirinii censu loquitur [1]. Si autem tum ἀπογραφή, tum ἀπογράφομαι plerumque census et censeri universam vim habent, non potest Lucas per ἀπογράφεσθαι censeri aut profiteri significasse, per ἀπογραφή autem vectigalium exactionem, quæ dubia ceterum est significatio et melius voce ἐκλογή, sive εἴσπραξις notaretur.

d) Utrum in his versibus duorum censuum an unius tantum mentio sit.

Ἀπογραφή quidem et ἀπογράφεσθαι vertit Godet [2] per *recensement*, et legit αὐτὴ ἡ ἀπογ.; sed duos census fuisse declarat, quorum prior, de quo agatur versibus 1 et 3, Jesu nascente habitus sit, alter (v. 2) autem sub Quirinio rectore post plures annos; hunc autem primum plerumque vocatum esse, quod primus esset habitus postquam Judæa in provinciam redacta esset, jam habito censu Augusti jussu ante mortem Herodis Magni. Sed concedi non potest censum Quirinii proprie τὴν πρώτην ἀπ. vocari, quum apud eumdem Lucam, Gamaliel (Act. V, 37) eam breviter τὴν ἀπογραφὴν nominet. Deinde nullo modo ostenditur inter se opponi v. 1 et 2, quod ad hanc interpretationem necesse sit. Aliquid hujus generis scribendum esset: αὐτὴ δὲ ἡ λεγομένη ἀπ. πρώτη ἐγένετο ὕστερον, ἡγ. τῆς Σ. Κυρ.

Negari igitur non potest verbis αὕτη vel αὐτὴ ἡ ἀπογραφή, quoquo modo scribitur, significari censum ipsum ab Augusto (v. 1) jussum et in Judæa quum Christus natus sit habitum (v. 3 *a*.); denique ultimis versus verbis tempus notari, quo hæc omnia evenerint.

e) Num jungendum sit πρώτη cum ἡγεμονεύοντος τῆς Συρ. Κυρ.

Sed de his verbis magis etiam certant theologi quam de prioribus, atque de singulis disputant et variam significationem afferunt. Adjectivus πρώτη, quem vocabulo *primus* vertimus, a multis vertitur *antiquior, prior*, ita ut ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου non genitivus temporalis sit, sed terminus comparationis, id est tempus illud significet, ante quod census factus sit.

[1] Antt. XVII, 13, 5; XVIII, 1, 2. 2, 1.
[2] O. l. vol. I, p. 100 sqq.

Cujus interpretationis auctor est J. G. Herwart cancellarius electoris Bavariæ, in libro qui inscribitur : Chronologia nova et ad calculum astronomicum revocata, Monaci 1612 [1]. Huic assensi sunt primo Kepler et Perizonius, adversatus autem est omnino Casaubon. Postea iterum consecuti sunt eam catholici Moréri [2], Calmet [3], et auctores libri cui titulus l'*Art de vérifier les dates*, evangelici D. Martin, J. Le Clerc, Beausobre et Lenfant, Ostervald, qui ea usi sunt in versionibus suis, sicuti professores et pastores Genevenses. Inter viros doctos qui eam probarunt nominandi sunt etiam Storr [4], Calvisius [5], fratres van Ess, postea Huschke [6], Caspari [7], Wieseler [8], Tholuck [9], Pratt [10], Lewin [11], Ewald [12], Hess [13], de Pressensé [14]. Ne omnia quæ pro hac celebri interpretatione aut adversus eam allata sunt, evolvamus, satis erit sequentia animadvertere :

1° Nihil mirum est, si adjectivus πρώτη hic ponitur, ubi gallice præpositio aut adverbium usurparetur. Optimæ græcitatis est hic adjectivi usus.

[1] Cf. tamen Casaubonum, o. l. Exerc. I, 32 : « Quæ interpretatio (scil. Herwartii) nobis nova non fuit, qui illam ante multos annos a Josepho Scaligero acceptam in nostris adversariis adnotaveramus. Sed merito mutavit postea Scaligerus. » Num Theophylactus Simokatta, Bulgarorum archiepiscopus c. a. 1070, jam sic locum interpretatus sit, ut suspicatur Reinold (apud Huschkium, o. l. p. 80 sq.), quæstionis non magni refert, quamvis aliter sentiat Huschke.

[2] *Dictionnaire*, ad v. Quirinius.

[3] *Dictionnaire de la Bible*, ad v. Cyrenius.

[4] *Opuscula academica*, vol. III, p. 126 et sqq.

[5] *Opus chronologicum*, p. 424 *a*.

[6] O. l., p. 79-88.

[7] O. l. § 30.

[8] *Synopse*, p. 116-120. *Beiträge*, p. 26-32.

[9] O. l., p. 182 et sqq.

[10] In *Journal of sacred Literature*, jan. 1864, p. 481, 482.

[11] O. l., 870.

[12] *Geschichte des Volkes Israël*, vol. V, p. 140, ann. 1.

[13] *Lebensgeschichte Jesu*, p. 44.

[14] *Jésus-Christ, son temps, sa vie et son œuvre*, p. 269 sqq.

2° Quum census ab Augusto jussus ex hac interpretatione cum nulla re, nisi cum Quirinii imperio conferatur, scriptum est πρώτη pro προτέρα. Invenitur enim apud recentiores πρῶτος et πρῶτον pro πρότερος et πρότερον, ut in N. T. Mt. VIII, 21; XXI, 28; Mc. VII, 27; Lc. XI, 38; XIV, 28, etc. Wieselero etiam et Huschkio concedere possumus πρώτη, quamvis pro comparativo usurpetur, vim superlativi retinere, et hoc loco simul significare primum et priorem.

3° Quum pro πρότερος adhibeatur, potest πρῶτος ut πρότερος cum genitivo jungi. Cujus compositionis nonnulla exempla inveniuntur apud recentiores, ne dicam apud classicos. Plura afferunt Stephanus, Wieseler, Huschke, Pratt, quanquam non omnibus locis certus est textus ab iis allatus. Hæc duo memorasse satis erit: Dionys. De comp. verb. c. 17: κἂν βραχεῖα πρώτη τεθῇ τῶν μακρῶν. Suidas ad v. Πλακίλλα: πρώτη δὲ τοῦ ἀνδρὸς ἐτελεύτησε. Quibus exemplis ea addenda sunt, quibus probatur eodem modo usurpari ἔσχατος: Hom. Il. X, 434 Θρήϊκες οἵδ' ἀπάνευθε νεήλυδες ἔσχατοι ἄλλων, etc.

In N. T. inveniuntur πρῶτος et πρῶτον hoc modo usurpata: Jo. I, 15, 30 πρῶτός μου ἦν. Jo. XV, 18 ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν, quibus locis nulla refert utrum de tempore an de dignitate agatur.

4° His rationibus tamen nondum explanatur compositio πρώτη Κυρηνίου, quia, ut fatetur ipse Wieseler, census cum Quirinio ipso comparari non potest, sed tantum cum altero censu sub Quirinii imperio habito. Ergo πρώτη ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου scriptum esse pro πρώτη τῆς ἡγεμ. Κυρ., sive cum adverbio πρῶτον ἢ ἡγεμονεύειν, vel τοῦ ἡγεμονεύειν Κυρήνιον (Casaubon l. l.), suspicandum est. Quæ brevitas dicendi per se nullo modo barbara est; sæpe usurpatur cum comparativis, et probandi causa non afferenda erant Wieselero ex poetis exempla; sufficiebat locus ille Xenophontis (Cyr. III, 41), Χώραν ἔχετε οὐδὲν ἧττον ἔντιμον τῶν πρωτοστατῶν pro τῆς τῶν πρωτοστατῶν. Alia hujus generis exempla facile inveniri possunt;

sic in N. T. Jo. V, 36 : ἔχω τὴν μαρτυρίαν μείζω τοῦ Ἰωάννου, Mt. V, 20 ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων. Sed nullum locum afferre potuit Wieseler, ubi πρῶτος cum genitivo eadem brevitate adhibitus sit, quod procul dubio longe durius sit quam comparativus proprius.

Non omnino igitur fieri non potest ut ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου genitivus comparationis sit, et πρώτη idem quod *prior* significet, præsertim si legimus ἐγένετο πρώτη pro πρώτη ἐγένετο. Attamen huic interpretationi duas ob causas assentiri non possumus.

Primo, quo tempore Jesus natus sit, incertissimo modo sic notatur. Qua ætate aliquid factum sit non rebus quæ postea, sed rebus quæ eodem tempore factæ sunt, significatur. Aut si non cognovisset Lucas accuratius quo tempore Jesus natus sit, lucidius se id nescire indicavisset.

Interpretatio enim est multo simplicior — quæ altera est causa cur Herwartii opinionem rejiciamus — qua πρώτη, ut fieri solet, eamdem vim quam *prima* habeat, et ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου genitivus absolutus sit, quo tempus census indicetur (Meyer, de Wette, Winer, Godet, Ebrard, Schuerer, etc.). Contendebat Herwart hoc fieri non posse, quum πρώτη articulo careat[1]; sed caret æque Jo. VIII, 7; XX, 8. 1 Tim. I, 16. Eph. VI, 2, quibus locis πρῶτος vocabulo *primus* procul dubio vertendum est. Qua ratione Herwartii relicta, asseverant Huschke et Wieseler utramque versionem ad grammaticam accommodatam esse. Quod eis concedere non possumus, quum sit simplicius, minus mirum, ad orationem historicam Lucæ in his duobus capitibus aptius, si ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου pro genitivo absoluto interpretemur.

Verbum πρώτη Lichtenstein[2], Ebrard[3] et N. T. Viviscense (Darby) per *demum* vertunt (germanice *erst*, franco-gallice *ne...*

[1] « Quod nullius est momenti. » Casaubon l. l.

[2] Apud Wieselerum, *Beiträge*, p. 26.

[3] O. l., p. 230.

que: il *n'*eut lieu *que* sous Q.); sed exemplis hanc versionem firmari non videmus.

f) Qua ratione hunc censum primum fuisse voluerit Lucas.

Sed quomodo a Luca dici potest eum censum primum fuisse? Non significat eum primum fuisse censum imperii romani (Quandt [1], Huschke [2], Köhler, Kneucker [3]); nam quum hoc versu altero nominetur Quirinius, patet non jam de imperio universo agi, sed tantum de Syria, aut etiam de Judæa sola. Sed utrum significat eum primum fuisse censuum qui habiti sint in Judæa sub Quirinio (Usher, Zumpt, Keil, Meyer, de Wette, qui rem tamen non profligat), an primum eorum qui habiti sint in Judæa [imperante populo romano]? (Justinus Dial. c. Tr. c. 48 ἀπογραφῆς οὔσης ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ τότε πρώτης, Wieseler, Calvinus, von Gumpach, Schuerer, etc.). Nulla re cogimur ut subtiliter πρώτη intelligamus, sicut voluerunt priores; atque durior est (præsertim si legimus πρώτη ἐγένετο) interpretatio, qua Κυρηνίου complementum fit verborum ἀπογραφὴ πρώτη: fuit primus census Quirinii Syriæ rectoris (Rodbertus [4], Keil). Servabimus ergo verbis ἡγεμονεύοντος τῆς Συρ. Κυρ. vim genitivi absoluti, tempus census primi declarantis. Posteriores census quo tempore habiti sint, donec evangelium scripserit Lucas, incertum manet ex verbis ipsius. Contendimus etiam voce πρώτη Lucam non declarare fuisse posteriores census, sed fieri potuisse ut haberentur, vel fortasse fore ut habeantur; hac autem voce tantum significari non fuisse censum antea, nihil tale adhuc vidisse Judæos. Sic Jo. VIII, 7, ex πρῶτος non sequitur alteri postea licere lapidem jacere; item Jo. I, 42. 1 Cor. XV, 3 (cf. II, 2). 1 Tim. V, 12. Ap. II, 4, 5; IV, 1.

g) De verbo ἐγένετο.

Censum illum, de quo agitur in omni loco II, 1-5, totum habi-

[1] O. l., § 16.

[2] O. l, p. 89.

[3] Sub verbo *Schätzung*, in Schenkelii *Bibellexikon*.

[4] *Zur Geschichte der römischen Tributsteuer seit Augustus*, in Hildebrandii *Jahrbücher für Nationalökonomie und Statistik*, vol. V, p. 158 sqq., ann.

tum esse sub Quirinio negant auctores quidam, ne dicere cogantur Jesum Christum hoc tempore natum esse. Paulus qui αὐτή legit, Calvinus qui αὕτη, arbitrantur censum ab Augusto jussum perpetratum esse diu postquam edictum propositum sit. Non satis est hoc asseri; nam v. 3-5 narratur effectum esse hoc edictum tempore nativitatis; et maxime de hoc agitur, num sub Quirinio rectore Syriæ natus sit Christus. Quod negant Köhler, Riggenbach [1], van Oosterzee, Zumpt [2], Keil [3], Wabnitz [4]; arbitrantur enim censum ab Augusto jussum illico inceptum esse, postea interruptum, deinde multis post annis repetitum esse. Rodbertus autem non putat interruptum fuisse censum, sed annis pluribus continuis habitum esse, hominibus primo enumeratis, deinde bonis censis, quod sub Quirinio factum sit. Sed utrumque cum verborum significatione discrepat; ἐγένετο enim idem quod *habitum est*, non quod *finitum est* significat. Ut hanc vim obtineant, commorantur von Gumpach et Wallon [5] in significatione quadam fere philosophica, qua γίνομαι eodem modo quo *perficior, ad effectum adducor* intelligendum sit, ita ut ἀπογραφῆς effectus in vectigalium exactione constet, quæ ex antiquiore censu facta sit. Itinere devio ad Ebrardii opinionem sic regredimur. Hanc quidem significationem habet γίνομαι in 1 Cor. XV, 54 [6]; multis autem aliis locis, γίνομαι a significatione prædicta abhorret, atque *incipio* (Jo. VIII, 58) *orior* (Rom. I, 3. Gal. IV, 4 et al.) etiam *creor* (Mc. II, 27. Gal. III, 17) significat. Ceterum multo facilius vertitur ὁ λόγος γενήσεται, *verbum adimplebitur*, quam ἡ ἀπογραφὴ ἐγένετο, *vectigalia exacta sunt*, præsertim in nar-

[1] *Leben Jesu*, p. 182.

[2] O. l., p. 211.

[3] O. l., p. 225 sqq.

[4] In *Revue théologique*, a. 1881, p. 363.

[5] *De la croyance due à l'Evangile*, p. 324.

[6] Non potest laudari Lc. XXIII, 24, quoniam αἴτημα rem postulatam, non actionem postulandi indicat (cf. 1 Jo. V, 15).

ratione, quum facillime verti possit *census habitus est* (cf. Act. XXV, 26. Mt. XXVI, 2. Jo. II, 1 et al.). Voluit igitur Lucas significare censum habitum esse sub Quirinio, non quidem totum — nam verborum vim ita premere non licet — sed saltem quoad partem potiorem; pars autem potior census ei videtur esse iter quod Joseph fecit Bethlehem. Affertur enim census nullam ob causam, nisi itineris causa; aliis verbis non de imperio Quirinii loquitur Lucas, nisi quia eodem tempore Jesus natus est [1].

h) De verbis ipsis ἡγεμονεύοντος τῆς Συρ. Κυρ.

Priusquam perspiciamus quantum hoc tempus cum rebus et a Luca et a profanis scriptoribus narratis congruat, percontandum est etiam verborum interpretatione quam potestatem Quirinium habuisse velit Lucas, qùum dicat eum ἡγεμονεύοντα τῆς Συρίας. Generalem significationem habent voces ἡγεμών, ἡγεμονία, ἡγεμονεύω apud scriptores græcos [2]. Adhiberi possunt ut indicent reipublicæ aut provinciæ procurationem quamcumque. De numine etiam dicit Plato οἷον ἄρχειν τε καὶ ἡγεμονεύειν πεφυκέναι [3]. In N. T. vox ἡγεμών rectorem regionis sæpe designat, cujusque fuerit honoris; ἡγεμόνες nominantur Pilatus, Felix, Faustus, qui procuratores erant (Mt. XXVII, 2, 11, 14; XXVIII, 14. Lc. III, 1; XX, 20. Act. XXIII, 24, 26, 33; XXIV, 1, 10; XXVI, 30. Jos. Antt. XVIII, 3, 1); ἡγεμονία autem adhibetur de Tiberio imperatore, Lc. III, 1 [4]. Quod

[1] Tempore eodem hæc utraque evenisse negant verbis impeditis Zumpt (o. l., pag. 209) et Rodbertus (o. l., p. 161). Keil (o. c., p. 226) sibi demonstrari cupit, secundum Lucam sub Quirinio Joseph Bethlehem iter fecisse, et Jesum natum esse. Demonstratione utemur duobus καί (v. 3 et 4); nam καί versus tertii potius cum versu altero jungitur quam cum primo, ut vult Keil. Nulla re probatur parenthesim esse versum alterum.

[2] Ita ut ἡγεμών eamdem vim habeat quam latine *præses;* nam præsidis nomen generale est, eoque et proconsules et legati Cæsaris et omnes provincias regentes, licet senatores sunt, præsides appellantur (Dig. lib. I, tit. XVIII, 1). Proprie appellantur provinciarum rectores ἀνθύπατος = proconsul, ἐπίτροπος = procurator, πρεσβευτὴς καὶ ἀντιστράτηγος = proprætor, aut potius legatus Augusti pro prætore.

[3] *Phæd.*, § 66.

[4] Cf. Jos. de B. J. procem 7. Αὐγούστου Ῥωμαίων ἡγεμονεύοντος.

nomen igitur Quirinius habuerit, hoc ex verbo ἡγεμονεύω non possumus intelligere, sed id retinendum est illum cum imperio missum esse [1], et census tempore magistratum fuisse maximum in provincia. Hoc enim modo non posset designari magistratus minor; ex textu etiam constat non inter duos homines imperium divisum esse — si modo hoc unquam in provinciis Romanorum factum est — quod Lucas ita declarasset : ἡγεμονευόντων Κυρ. καὶ τοῦ δεῖνα. Verbis non est statuendum utrum extra ordinem, an non, imperaverit Quirinius; sed jam constat eum non legatum aut præfectum esse in Syriam census causa missum, alio provinciam obtinente (Beza, Casaubon, Grotius, Pétau [2], Wolf [3]) nec Ciliciæ proconsulem in Syriam extra ordinem missum esse censendi causa (Usher [4]).

Denique afferenda est opinio Meyeri I, Röschii [5], Seyffarthii [6] qui vertunt: Census fuit primus Quirinii, qui postea Syriam obtinuit; si hoc intelligendum esset, legeremus πρώτη τοῦ ὕστερον ἡγεμονεύσαντος τῆς Συρίας Κυρηνίου.

Summa judicii nostri, quid hoc loco significarit Lucas, hæc est :

1° Imperium censeri jussit Augustus edicto.

2° Propter hunc censum se contulerunt Joseph et Maria Bethlehem unde ortus esset Joseph. In hoc pago natus est Jesus Christus.

3° Census habitus, et Jesus natus est, quum Quirinius in Syria imperaret.

Eadem nunc perscrutemur, quomodo historicorum fide se habeant.

1 Huschke, o. l., p. 75 sq.
2 *Rationarium temporum*, p. 875 sq.
3 *Curæ philos. et crit.* vol. I, p. 577.
4 *Annales V. et N. T.* Genevæ 1722, p. 567.
5 In *Jahrbücher für deutsche Theologie*, 1866, p. 3 sqq.
6 O. l., p. 85.

CAPUT II

De censibus apud Romanos.

De censibus civium romanorum.

Quum ex re familiari civis romani cujusque penderet quæ belli pacisque munia ei essent, erat census a Servio Tullio institutus [1], fundamentum reipublicæ. Quarto quoque anno (postea quinto quoque), cives omnes sese coram offerre debebant, et eis quibus census habendus erat, domicilium, nomen, ætatem patris et avi, posteriorum alieni juris nomina, tandem uxoris nomen jurejurando declarare, et bona singula profiteri cum æstimatione jurata, quæ tabulis census inscribebatur. Hoc nominabatur ***professio censualis***, et qui profitebatur *deferre censum* dicebatur. Quæ professio quum finita esset, censi, qui omnes cives erant, in campo Martio conglobabantur, ubi lustrum habebatur, id est lustratio cum sacris precibusque. Census postquam eodem modo habitus erat a regibus primo, deinde a consulibus, postea a cen-

[1] Liv. I, 42 nominat Servium conditorem omnis in civitate discriminis, ordinumque, quibus inter gradus dignitatis fortunæque aliquid interlucet; censum enim instituit, rem saluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli pacisque munia non viritim ut antea, sed pro habitu pecuniarum fierent.

soribus, qui a. 319 ab U. C. instituti erant, mutatus est a Cæsare, per quem factum est ut eodem loco non jam cuique esset profitendum. Quanquam enim omnibus Italiæ incolis legibus Julia (a. 664) et Plautia Papiria (a. 665) civitas donata erat, singulis qui in Italia sese habebant, erat Romam eundum, nisi absentes essent publici muneris causa; sed lege Julia municipali, a. 709, statutum est censum ab hoc tempore simul et Romæ et in omnibus municipiis, præfecturis, coloniis Italorum habendum esse. Ceterum non constanter quinquennale fuit lustrum, multique census omissi sunt bellorum, vel externorum, vel civilium causa. Quare census anni 685, qui sexagesimus quartus erat a Servio Tullio, ultimus fuit reipublicæ liberæ.

Longo intervallo intermisso, habuit Augustus ipse tres census civium romanorum [1], primum a. 726 [2], secundum a. 746 [3], tertium a. 767, paucis mensibus antequam obiret [4]. Præterea censum habitum esse a. 732 a censoribus Planco et Paulo, qui ex privatis hominibus essent, suspicatur Mommsen [5]. Non omittendum est a. 757, in lectione secunda senatus, Augustum, pro

[1] Suet. Augustus, XXVII : Censum populi ter egit. Mirum est, quanquam hæc tam aperte dicta sunt et a Suetonio et in Mon. Ancyrani versione græca, Huschkium et Zumptium in hoc hærere, quod in textu latino ejusdem Mon. verba *censum egi* desint secundo et tertio lustro, et negare tum omnino primi similem fuisse censum civium. Cf. Mommsen, *Res gestæ*, p. 22.

[2] Mon. Anc. col. 2, lin. 2-5: In consulatu sexto censum populi conlega M. Agrippa egi lustrum post annum alterum et quadragensimum feci quo lustro civium romanorum censa sunt capita quadragiens centum millia et sexaginta tria millia. Cf. Dio Cass. LIII, 1.

[3] [Iteru]m consulari cum imperio lustrum solus feci C. Censorin[o et C.] Asinio cos. quo lustro censa sunt civium romanoru[m capita] quadragiens centum millia et ducenta triginta m[illia]. Errat itaque Dio Cassius (*Hist.* LIV, 35) quum dicit eum censum habitum esse a. 743, Q. Ælio Tuberone et Paulo Fabio coss.

[4] [Tertiu]m consulari cum imperio lustrum conlega Tib. Cæ[sare filio meo feci] Sex. Pompeio et Sexto Apuleio cos. quo lustro ce[nsa sunt civium ro]manorum capitum quadragiens centum mill[ia et nongenta tr]iginta et septem millia. Cf. Suet. Aug. XCVII. Tib. XXI. Dio Cass. *Hist.* LVI, 28.

[5] *Römisches Staatsrecht*, II[1], p. 311. Cf. Dio Cass. *Hist.* LIV, 2.

potestate proconsulari sibi ad hoc decreta, censum habuisse civium in Italia habitantium, qui plus ducenta sestertia possiderent[1]. Post exitum Augusti duo tantum fuerunt census, prior sub Claudio a. 801, alter sub Vespasiano a. 827, qui fuit septuagesimus quintus et ultimus. Quod autem sentiunt Seyffarth[2] et Caspari[3], sub imperatorum principatu anno septimo quoque censum fuisse, nullo testimonio nititur, aut potius, si Monumentum Ancyranum et Fastos censorios[4] sequimur, stare non potest.

De censibus in provinciis habitis.

Quid intersit inter hos civium census et censum orbis terrarum, de quo Lucas (II, 1, 2) loquitur, intelligemus, si, omissa temporum descriptione, paucis verbis dicemus quibus censibus populi romani provinciæ, aut nationes cum eo fœderatæ usæ sint, quoniam aut socii aut fœderati fuerunt Judæi, quum Jesus natus est.

In multis oppidis, præsertim græcis, census erat antequam Romanis subjecta fuerunt. Quam consuetudinem servarunt ubique Romani ad suos usus maxime accommodatam, et ad reipublicæ procurationem necessariam. Certo scimus in Sicilia fuisse censum quarto aut quinto, ut apud Romanos, quoque anno habitum[5]. Verisimile est hoc et in provinciis institutum esse, in quibus antea census non esset[6], et ubique census habitos esse in municipiis[7]. Videmus enim in oppido quoque provinciarum optimates vel possessores, i. e. qui re familiari præstarent[8],

1 Dio Cass. *Hist.* LV, 13.

2 O. l., p. 86.

3 O. l., § 30.

4 Cf. de Boor, *Fasti censorii* (Berol. 1873), p. 30-33.

5 Cic. *In Verr.* Act. II, lib. II c. 56.

6 De censoribus in Bithynia loquitur Plinius (Epist. X, 83, 113, 115), qua in provincia a Pompeio institutus erat census.

7 Quod antea negavit Mommsen (*Röm. Gesch.* vol. I, p. 817), nunc vero asseverat (*Röm. Staatsrecht*, vol. I, p. 392).

8 Marquardt, o. l. vol. II, p. 517 sqq.

municipio præesse. Non certo tempore autem rem factam esse suspicandum est ob bella civilia, quibus provinciæ tantopere turbatæ sint.

Itaque Augustus, quum traditum a Cæsare morem renovaret, voluit res hujus generis componere. Præterea census provinciales eo magis necessarii et majoris momenti fiebant, quod decima, quæ vectigalium maximum erat, non jam a publicanis redempta, sed a magistratibus cum stipendio exacta erat, i. e. a rectore provinciæ ejusque procuratoribus in imperatoriis provinciis, a quæstoribus in provinciis senatoriis. Idcirco magna orbis terrarum descriptione a Cæsare incepta et ab Agrippa peracta, multi census habiti sunt in provinciis [1].

Non difficilis fuit res in provinciis senatoriis, quæ tranquilliores et melius constitutæ erant; satis enim erat, si veteres municipiorum census repetebantur et ordinabantur. In provinciis autem quæ a principe administrabantur, res et cultu asperiore gentium et seditione crebra in principio saltem impedita est [2]. Augustus vero, qui fecerat ut a se procuraretur census, curavit diligenter ut in provinciis institutus sit, in quibus nondum in usu erat; itaque in eas sæpe homines misit, qui primores erant in republica, et ipse in Gallia censum egit. Postea vero, res facta est a legatis Augusti pr. pr. ad census accipiendos, qui etiam *censitores* nominabantur. Num temporibus certis fierent census non est apertum, sed quibusdam indiciis

[1] Quæ in Cosmographia Ethici aut potius Julii Honorii Oratoris (V° vel VI° sæc.) et in medii ævi auctoribus (de quibus cf. Gregorovius *Gesch. der Stadt Rom*, vol. IV, p. 600 sqq.) de hac re exposita sint, fidissima esse negat Marquardt (o. l. vol. II, p. 202), sed concedit Augusti jussu a grumatoribus multa elaborata esse, ut fieret descriptio orbis terrarum, quæ postea in porticu Agrippæ incisa fuerit (cf. Plin. H. N. III, 3).

[2] Quod opus quam arduum sit nobis, nunc quum maxime, quamvis nihil ultra, quam ut publice notæ sint facultates nostræ, exquiratur, nimis magno experimento agnoscimus. Oratio Claudii ad sen. tab. II fin. Ad lib. XI Ann. Tac. exc. II (Orelli).

conjecturandum est factum esse anno quinto quoque, sicut Romæ et in Sicilia; postea vero, anno decimo et decimoquinto quoque [1]. Re vera paucorum censuum provincialium memoria per historiarum scriptores vel per inscriptiones servata est. Præcipui sub duodecim Cæsaribus habiti sunt in Gallia, primum ab Augusto ipso a. 727 [2], deinde a Druso a. 742 [3], postea a Germanico a. 767 [4], quartus a. 814 [5], quintus sub Domitiano [6]; dicitur quoque in Britannia sub Claudio [7], in Dalmatia a. 744 census habitus esse [8]. In Judæa actus est a. 759-760 [9] a Quirinio Syriæ proprætore, postquam Archelaus regno pulsus et in exsilium missus est [10]. Sed, quamvis imperfecte sciamus quomodo hæc acta sint, ex hoc rationario [11] vel breviario [12] totius imperii perscripto ab ipso Augusto « et in quo opes publicæ continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia et necessitates ac largitiones [13] » facile intelligi potest census hujusmodi in omnibus provinciis imperii habitos esse. Quod breviarium, si diligenter factum est (non autem dubitari potest quin Augustus in eo conficiendo maximam diligentiam adhibuerit) ex censu provinciarum constabat.

[1] Marquardt, o. l. vol. II, p. 236 sqq. Certis temporibus actum fuisse censum non concedit Zumpt (o. l., p. 168 sqq,).

[2] Dio Cassius. H. LIII, 22. Liv. Epit. 134.

[3] Claudii oratio tab. II fin. Liv. Epit. 136, 137.

[4] Tac. Ann. I, 31 ; II, 6.

[5] Tac. Ann. XIV, 46.

[6] Front. Strat. I, 1, 8.

[7] Dio Cass. LXII, 2.

[8] Dio Cass. LIV, 36.

[9] Τριακόστῳ καὶ ἑβδόμῳ ἔτει μετὰ Ἀντωνίου ἐν Ἀκτίῳ ἥτταν ὑπὸ Καίσαρος. (Jos. Antt. XVIII, 2, 1).

[10] Jos. Antt. XVII, 13, 5; XVIII, 1, 1. 2, 1; XX, 5, 2, non postquam obiit, ut asseverat Duruy, o. l. vol. IV, p. 12.

[11] Suet. Aug. XXVIII. Cf. Dio Cass. LIII, 30.

[12] Suet. Aug. CII.

[13] Tac. Ann. I, 11. Cf. Dio Cass. LVI, 33.

Hunc igitur in omnibus provinciis actum significat Lucas, in loco de quo quæstio est, descriptionem memorans orbis terrarum, et nihilo cogimur ut eum concedamus censum significare qui eodem anno factus sit in toto imperio; nam ut supra demonstravimus, versu altero non jam agitur de censu, nisi quod ad Judæam pertinet. Operæ autem pretium est animadvertere Lucam consilium indicare, quod, cujus momenti fuerit, non intellexerant, ut videtur, scriptores historiæ Augusti; nunquam enim nisi de censu hujus vel illius provinciæ loquuntur. Quæri tantum potest num habiti sint census singuli ob decretum unum Augusti de imperii descriptione. Mirum quidem est scriptores nihil de hoc dicere, sed non est causa, cur id non fuisse arbitremur. Decretum autem, si fuit, editum est antequam primum census in provinciis habitus est, id est non post a. 727, quo ipso anno provinciæ inter principem et senatum divisæ sunt. Nullo modo fieri non potuit ut hoc tempore Augustus jusserit omnes provincias censeri; sed si temporum rationem habemus, hæc vix congruere possunt cum verbis Lucæ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, quibus declarat hoc non minus viginti annis postea evenisse. Errat in hoc fortasse Lucas, sed parum graviter, quoniam in narratione de nativitate Christi, non tanti momenti est decretum Augusti, quam census ipse in Palæstina actus [1].

De testimoniis quibus unus census eodem tempore in universo imperio romano habitus esse asseveratur.

Multi tamen auctores, non his testimoniis historiæ contenti, ut verbis Lucæ majorem fidem adhiberent, censum sub Augusto eodem tempore in omnibus imperii provinciis habitum esse putarunt [2].

[1] Opinatur etiam Keil (o. c., p. 221) toties fuisse decretum promissum, quoties provinciæ singulæ censerentur. Quæ si ita se haberent, temporum non jam esset differentia; sed dubitari potest num, quotiescumque promissum erat, de censu orbis terrarum mentio fieret, quod tamen impossibile nullo modo videtur.

[2] Sic Marquardt I. (O. c., vol. III, p. 169, n. 6.) Supervacuum est ut Huschkii conjecturas afferamus, (o. c., p. 47-53) quibus Monumentum Ancyranum explet, quod non nisi per Chishullium cognoscebat. Eas falsas esse demonstravit Perrot, quum ex Asia perfectiora referret exemplaria.

Laudat Huschke propter hoc Dionem Cassium (LIV, 35) ad annum 743: ὁ Αὔγουστος ἀπογραφάς τε ἐποιήσατο, πάντα τὰ ὑπάρχοντά οἱ, καθάπερ τις ἰδιώτης ἀπογραψάμενος, asseveratque Dionem verbis πάντα τὰ ὑπάρχοντά οἱ orbem terrarum significare, quem Augustus professus esset, ut privatus rem familiarem. Sed fieri non potest ut his verbis orbis terrarum cum bonis et hominibus, ne civibus quidem romanis omissis, comprehendendus sit. Versio igitur quæ vulgo adhibetur, multo minus mira, servanda est : Censum egit Augustus, sua bona ipse professus, ut privatus.

Tres locos auctorum christianorum affert præterea Huschke, ut opinionem sustineat : 1° Cassiodorus scribit (Variæ Epistolæ III, 52. Consulari viro illustri Theod. rex [1]; inscribitur : Eligitur agrimensor qui terrarum finium terminet quæstionem) : « Augusti siquidem temporibus orbis romanus agris divisus, censuque descriptus est, ut possessio sua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum susceperat quantitate solvenda. Hoc auctor hyrummetricus (suspicatur Huschke : Hyginus gromaticus) redegit ad dogma conscriptum, quatenus studiosus legendo possit agnoscere quod deberet oculis absolute monstrari. » Sed hoc loco non probatur censum habitum esse eodem tempore in omnibus imperii provinciis.

2° Isidorus Hispalensis (Orig. V, 36, De annis [2]) : « Æra singulorum annorum constituta est a Cæsare Augusto quando primum censum exegit ac Romanum orbem descripsit. Dicta autem æra ex eo quod omnis orbis æs reddere professus est reipublicæ. » Cf. quæ sequuntur cap. 37 de Olympiadibus et lustris et jubileis : « Lustrum est πενταετηρίς, id est quinquennium, quod quinto anno dicitur condi propter Olympiadas a Romanis : adhuc enim consules, *adhuc æra nondum erat*. Est enim quinquennale tempus. Ideo vero sic vocabatur : eo quod

[1] Cassiodori opera [Genevæ] Chouët 1609, p. 227-229.

[2] Isidori Hisp. opera, Coloniæ Agripp. 1617, p. 41 H.

census per quinquennium in republica peracto, urbs Roma lustrabatur. » E. Muellero auctore [1], de æra hispaniensi hic agitur, quæ ab anno 716 incipit. Sequitur nullius esse momenti quod docet Isidorus, neque æra vere ab ære dici videtur. Sed si adeo errat Isidorus de tempore census ab Augusto jussi, non potest auctor esse hunc censum eodem tempore in omni imperio habitum esse [2]. Suspicatur Wieseler [3] Isidorum hoc loco primum civium censum ab Augusto a. 726 habitum, aut primum censum Hispaniæ a. 727 indicare. Nullo modo fieri potest ut hic de censu a Luca memorato agi concedamus.

3° Quamvis etiam postea scribat Suidas, tam accuratum est testimonium ejus, ut verius videatur. Scribit enim ad v. ἀπογραφή : ὁ δὲ Καῖσαρ Αὔγουστος ὁ μοναρχήσας εἴκοσιν ἄνδρας τοὺς ἀρίστους τὸν βίον καὶ τὸν τρόπον ἐπιλεξάμενος ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν τῶν ὑπηκόων ἐξέπεμψε, δι' ὧν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῶν τε ἀνθρώπων καὶ οὐσιῶν, αὐτάρκη τινὰ προστάξας τῷ δημοσίῳ μοῖραν ἐκ τούτων εἰσφέρεσθαι. Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο τῶν πρὸ αὐτοῦ τοῖς κεκτημένοις τί μὴ ἀφαιρουμένων; (cum qui eum antecesserant nihil possessoribus non eripuissent) ὡς εἶναι τοῖς εὐπόροις ἔγκλημα τὸν πλοῦτον.

Non dubium est quin ex Luca trahantur verba αὕτη ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο, sed non satis est ut Suidæ testimonium rejiciamus; multa enim hic narrantur, quibus Lucas caret. Vigintiviros fuisse non est incredibile, quoniam totidem legatos sub Augusto et jam antea creatos esse videmus, quum de rebus gravibus agebatur [4]. Exempli causa vigintiviris divisus est ager Campanus Cæsaris jussu a. 695 ex lege Julia. (Suet. Aug. IV; Vell. Paterc. II, 45.) Sed nusquam vigintivirorum mentio est, quum census sociorum narrantur. Itaque opinantur Zumpt [5] et Marquardt [6]

[1] Art. *Æra* in Paulyi *Encyclopædia*. (Ed. altera 1864.)
[2] Cf. Wieseler, *Synopse*, p. 78, ann.
[3] *Beiträge*, p. 55, n. 3.
[4] Cf. Huschkium, o. c., p. 54.
[5] O. c., p. 160 sqq.
[6] O. c., vol. II, pag. 20.

eos non missos esse, nisi in decem provincias senatorias quas solas censeri narret Suidas. Si res ita sunt, falsa sunt verba πᾶσαν τὴν γῆν τῶν ὑπηκόων. Deinde, ut recte Augustum declaret Suidas vectigalium correctioni operam impendisse, rem tamen augere videtur, quum dicit eum non solum censum, sed etiam tributa in provinciis instituisse. Si enim non id significat, quid his verbis declarat αὐτάρκη τινὰ προστάξας τῷ δημοσίῳ μοῖραν ἐκ τούτων εἰσφέρεσθαι? Ceterum census ab Augusto jussos perspicuum est Suidam permiscere, quum dicit (sub v. Αὔγουστος): Ὅτι Αὔγουστος Καῖσαρ δόξαν αὐτῷ πάντας τοὺς οἰκήτορας Ῥωμαίων κατὰ πρόσωπον ἀριθμεῖ, βουλόμενος γνῶναι πόσον ἐστὶ πλῆθος· καὶ εὑρίσκονται οἱ τὴν Ῥωμαίων οἰκοῦντες υι' μυριάδες καὶ χίλιοι ιζ' ἄνδρες. Quum plures quam quadragies et semel centena milia mille et septendecim (4 101 017) nullo dubio fuissent imperii incolæ, legere tentat Huschke ͵αυι' μυριάδες κ. τ. λ. (milies et quadragies et semel centena milia, mille et septendecim, 104 101 017.) Sed tam parum differt numerus a Suida allatus a numero civium a. 726 censorum, ut aliquid alius generis suspicandum sit, præsertim si animadvertimus quid doceat Mommsen[1] de aliis ejusdem numeri mutationibus : « Censa sunt a. 726 capita quadragiens centum milia et sexaginta tria milia, i. e. 4 063 000; pro quo numero apud Eusebium leguntur μυριάδες υϛ' καὶ ͵δ id est 4164000. Scilicet quum Augustus præter usum non *quadragiens* dixisset, sed adjecto eo quod solet intelligi *quadragiens centum millia*, posteriores id acceperunt quasi dixisset *quadragies semel*. Itaque Augustus, quum præcipuam curam duxit sensum animi quam apertissime exprimere, nec dubitavit gratiæ aliquid detrahere ut vitaret obscuritatem[2], ut fit, ipso nimio ambiguitatis vitandæ studio incidit in ambiguitatem. » Quamvis non omnino explicetur cur de numero a Monumento Ancyrano Suidas (nec etiam Eusebius) abhorreat, credendum

[1] *Res gestæ*, p. 22.
[2] Cf. Suet. Aug. LXXXVI.

est Suidam re vera censum civium confudisse cum totius imperii censu, quum testimonium illud de orbis terrarum descriptione componeret.

Cassiodori, Isidori, Suidæ locis ab Huschkio laudatis, addenda sunt quæ Marquardt affert[1], scilicet:

1° Locus impeditissimus Malalæ (*Chronol.*, lib. 9)[2] τῷ δὲ λθʹ ἔτει καὶ μηνὶ τῷ δεκάτῳ τῆς βασιλείας αὐτοῦ ἐθέσπισεν ἐκφωνήσας δόγμα, ὥστε ἀπογραφῆναι πᾶσαν τὴν ὑπ' αὐτὸν γενομένην γῆν καὶ ἣν πρώην εἶχον οἱ Ῥωμαῖοι ἐπὶ τῆς ὑπατείας Ἀγρίππου τὸ δεύτερον καὶ Δονάτου (corr. Petersen: καὶ τὸ ϛʹ [ἕκτον] αὐτοῦ. Wieseler: καὶ τὸ τρίτον αὐτοῦ) καὶ ἀπεγράφη πᾶσα ἡ ὑπὸ Ῥωμαίους γῆ διὰ Εὐμένους καὶ Ἀττάλου συγκλητικῶν Ῥωμαίων. Μετὰ δὲ τὸ διελθεῖν τὸ μαʹ ἔτος καὶ μῆνα τὸν ἕκτον τῆς βασιλείας αὐτοῦ ἐν τῷ Δύστρῳ μηνὶ κεʹ ὥραν ἡμερινὴν δευτέραν, ἡμέρᾳ Κυριακῇ, εὐηγγελίσατο ἐν Ναζαρὲτ τῇ πόλει ὁ ἀρχάγγελος Γαβριὴλ τὴν ἁγίαν παρθένον καὶ θεοτόκον Μαρίαν, ἐν ὑπατείᾳ Κουϊνίου καὶ Λογγίνου, ἡγεμονεύοντος δὲ τῆς Συρίας Οὐιτιλλίου τοῦ καὶ προαχθέντος νεωστὶ ὑπὸ τοῦ Αὐγούστου Καίσαρος. Annus autem trigesimus nonus (λθʹ) regni Augusti computati a mense sextili anni 711 (Octavio consule primum)[3] est 749-750. (Coss. Augusto XII, L. Cornelio Sulla; postea, C. Calvisio Sabino, L. Passieno Rufino.) Deinde consules fuerunt Agrippa iterum et Augustus VI (Donatus enim ignotus est) a. 726. Præterea anno quadragesimo primo (μαʹ) regni Augusti, id est a. 752, consules fuerunt Augustus XIII (Q. Fabricius suff.) et M. Plautius Sylvanus. (C. Canisius Gallus suff.) Denique Vitellius Syriam obtinuit a. 787 aut 788[4]. Ex eo apparet quam libere, ne dicam quam absurde, annos computet Malalas, et ejus testimonium nullius auctoritatis esse, præsertim si addamus eum non de viginti censitoribus, ut Suidas, sed de duobus loqui,

[1] O. c., vol. II, p. 206 ann.

[2] P. 292, ed. Oxfordianæ, 1691. Quod opus non ante a. 566 scriptum est. (Pauly, *Encycl.* sub v. Malalas.)

[3] Lewin, o. c., 871. Asseverat Malalas annos quinquaginta sex regnavisse Augustum.

[4] Lewin, o. c., 1462. Schuerer, o. c., p. 170.

et Eumenem Attalumque vix inter senatores romanos hujus temporis esse potuisse.

2° Locus longe lucidior Pauli Orosii (Adversus paganos historiarum[1] l. VI, 22) : Anno ab urbe condita DCCLII . . . Cæsar . . . censum agi singularum ubique provinciarum et censeri omnes homines jussit, quando et Deus homo videri, et esse dignatus est... Hæc est prima illa clarissimaque professio quæ Cæsarem omnium principem, Romanosque rerum dominos singillatim cunctorum hominum edita adscriptione signavit, in qua se et ipse, qui cunctos homines fecit, inveniri hominem, adscribique inter homines voluit... Nec dubium quin omnium cognitioni fidei, inspectionique pateat, quod dominus noster Jesus Christus hanc urbem nutu suo auctam defensamque in hunc rerum apicem provexerit, cujus potissime voluit esse cum venit, dicendus utique civis Romanus, census professione Romani.

Etsi non inter se pugnant narrata, nec confuse narrantur, ex Lucæ capite secundo, anni designatione excepta, tracta esse videntur; et minus certus est Orosius in historiis narrandis, quum ei pro fide christiana, vel Scripturæ textu quocumque pugnandum videtur[2], quam ut de hac re magnopere ei credamus.

Num per se probabile sit censum universum sub Augusto in toto imperio semel habitum esse.

Non autem argumentum invictum afferent hæc seriora et dubia testimonia, nisi possimus æstimare cur aut quomodo factus sit census totius imperii inter census singularum provinciarum, quos fieri curavit Augustus; non satis enim est si dicemus, Grotio auctore[3], censum eo pertinere, ut notum esset quid regna quæque et provinciæ hominum copia, quid pecuniis valerent. Item scribit Casaubon[4] « descriptionem e curiositate Augusti natam esse, vel, ut melius dicat, ex arcano divinæ

[1] Quod opus a. 417 scriptum est. (Pauly, *Encycl.* sub v. Orosius.)

[2] Cf. Egger, *Examen critique des écrivains du siècle d'Auguste*, p. 319-323.

[3] *Annotationes in libros Evangeliorum* ad Luc. II, 1.

[4] *De rebus sacris*. Exercit. I, 31, p. 128 B.

Providentiæ consilio. » Sed saltem eam cum orbis terrarum mensuratione, quæ facta sit sub Augusto, cohærere docet [1]. Hujus mensurationis, si eis quæ obscure narrat Julius Honorius fidem habemus, pars quæ ad Orientem pertinet a. 724 finita est [2]. Sed eam repetitam esse postea opinatur Casaubon ob hunc locum Plinii (H. N. VI, 31.) : « Hoc in loco [Charace] genitum esse Dionysium [Periegeten] terrarum orbis situs recentissimum auctorem constat : quem ad commentanda omnia in Orientem præmisit divus Augustus, ituro in Armeniam ad Parthicas Arabicasque res majore filio. » Ex quo possumus conjicere Dionysium in Asia fuisse ultimis regni Herodis temporibus, sed hanc missionem Dionysii « ad commentanda omnia » non omnino idem esse ac censum totius imperii, qui habitus sit ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, nemo non fatebitur. Necesse esset utique tempore mensurationis imperii capitastrum institutum esse, quod ante Diocletiani tempora adhibitum esse valde dubium est [3].

Nuper demonstrare voluit Huschke censum fuisse universum, et sociorum et civium, qui primum a. 746, postea tum ab Augusto, tum ab ejus successoribus interdum habitus sit. Non solum auctores affert de quibus supra disseruimus, sed ut hanc rem convincat, memorat imperatores sibi proposuisse ut imperium unum in omni magis magisque fieret, atque distinctio inter cives et peregrinos evanesceret. Deinde nobis est cognitum ex Mon. Anc. et ex historiarum scriptoribus Augustum census a. 746 et 767 non ut censorem egisse, sed consulari cum imperio, quod interpretatur Huschke proconsulare imperium esse Au-

[1] O. c. Exercit. I, 33, p. 131 A. Item Felix Malleolus (Hemmerlein) in dialogo *De nobilitate et rusticitate*; cf. Marquardt o. c., vol. II, p. 203, ann. 4.

[2] A Julio Cæsare et M. Antonio coss. (a. 710) orbis terrarum metiri cœpit, id est consulatu suprascripto usque ad consulatum Augusti III (l. IV) et Crassi XXI (l. XIII) mensibus V, diebus IX, [a] Zenodoxo omnis Oriens dimensus est. (Ap. Marquardt o. c., vol. II, p. 202, ann.)

[3] Marquardt o. c., vol. II, p. 221. Humbert sub v. *capitastrum* in Darembergi Dict.

gusto a senatu a. 731 in omnes provincias decretum [1]. Proconsulari autem cum imperio, eorum Italorum qui plus ducenta sestertia possidebant a. 757 censum egit Augustus [2]. Deinde quum in Mon. Anc. trium quidem lustrorum ab Augusto factorum mentio sit, semel autem (a. 726) proprio verbo census populi, effici vult Huschke ut secundus tertiusque census ad imperium totum pertinerent, etsi numerus tantum civium in Mon. Anc. inscriptus sit. Idem denique nos admonet eodem tempore actos esse census singularum provinciarum qui nobis cogniti sunt ac census civium : censum Gallorum a Germanico actum, exempli causa eodem tempore ac tertium censum civium sub Augusto (a. 767); censum a Quirinio in Judæa actum (a. 759) eodem tempore quo Augustus censum locupletiorum in Italia haberet; tandem, quum Jesus Christus a. 747 natus sit, censum qui tum actus sit congruere cum censu civium a. 746, quo primum et cives et socii, quamvis separatim, descripti sint.

Hanc doctrinam, cui Marquardt in editione priori [3] assensus est, rejecerunt et idem postea, et alii antiquitatum romanarum scriptores. Dissimiles enim sunt census civium romanorum et census sociorum, quoniam ille non ad vectigalium collationem spectat (quum tributum nullum cives romani ab a. 587, nisi interdum ad breve tempus, pependerint), sed ad jura, mores, religionem pertinet, hic autem reipublicæ administrandæ causa actus est, atque præsertim ut, si Claudii imperatoris verbis uti licet, publice notæ sint opes imperii. Deinde ita disparis juris erant tunc cives et peregrini, ut ab Augusto Cæsaris consuetu-

[1] Dio Cassius LIII, 32.

[2] Id. LV, 13.

[3] 1853, part. III [2], p. 169 et sqq. Item L. Renier (*Mélanges d'épigraphie*, p. 47) et Egger. (*Examen critique.*) Ewald credere videtur fuisse censum totius imperii et civitatum liberarum quum natus sit Christus, et decem annis antequam Judæam censeret Quirinius; sed non explicat quale fuerit hoc opus, neque an cum civium censu conjunctum sit. *Gesch. des Volkes Israël*, vol. V p. 20. 141.

dinem in hoc renuente civitas rarissime daretur, et non ante duo sæcula, sub Caracalla omnes imperii incolæ ea donati sint. Ceterum de hac quæstione melius ad auctores provocabimus, qui eam ad unguem tractaverunt : Mommsenium [1], Marquardtium [2], Zumptium [3], Rodbertum [4], qui ab Huschkio dissenserunt. Si temporum rationem perconctemur, nobis nullo modo prosunt rationes Huschkii, ut pro certo statuamus quo tempore Jesus natus sit ex evangelio Lucæ, non solum quia non ad rerum veritatem tempora censuum civium censuumque provinciarum congruunt [5], sed etiam quia contrarie ac nos ratiocinatur. Quum enim Christum natum esse anno 747 pro re comperta, Matthæo auctore, habeat, confici vult ut census hoc anno in Judæa habitus cum civium censu anno superiore habito conjungendus sit. Nos autem, quum de nativitate narranda adeo discrepent Lucas et Matthæus, quærimus, adhibito censu qui ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου habitus est, quo anno Lucæ Christum natum esse videatur. Sed antequam de hoc disseramus alia sunt nobis perscrutanda.

[1] *Röm. Staatsrecht*, vol. II, p. 337, 391 sqq.

[2] O. c., vol. II, p. 211 sqq.

[3] O. c., p. 160 sqq.

[4] L. l.

[5] Auctore quidem Sattlero (*Das Jahr 749 nach Erbauung Roms, das wahre Geburtsjahr Jesu*, in *Beilagen zur Allgemeinen* [*Augsb.*] *Zeitung*, die 13 a martii a. 1883) census sociorum una cum censu civium anno 746 jussus, anno 747 agi cœpit, deinde, a septentrionali parte Syriæ provinciæ meridiem versus progrediens, anno demum 749 Bethlehem attigit. Quod neque cum verbis Monumenti Ancyrani consentaneum, neque per se probabile est; cur enim omnes ejusdem provinciæ partes eodem simul tempore censæ non fuerint, nullo modo videmus.

CAPUT III

De censibus in Judæa habitis.

Nobis demonstravisse videmur ea quæ breviter et populariter per censum orbis terrarum Lucas significat ex censuum serie in omnibus provinciis Augusto imperante actis, Romæque ordinatis constitisse. Eo magis refert ut sciamus num census illi etiam ad ea regna pertineant, quæ a regibus fœderatis habebantur, quod non aperte a Luca dicitur utrum Judæa, quum census habitus est, in provinciam imperii romani redacta esset, an adhuc a principe ex familia Herodum regeretur. Si manifesto compertum esset censum ab Augusto jussum non regnante Herode Magno vel Archelao filio agi potuisse, hoc magni esset momenti ad æstimandam et interpretandam Lucæ narrationem. Sed accidit ut vix aperte responderi possit.

De tributis quæ populo romano a Judæis pensa sunt.

Opinio nobis est primo excutienda, sub Herode Romanis census agendos fuisse et actos fuisse tributi causa. Aperte enim dicit Lucas censum de quo loquitur primum fuisse, et verba torquebit qui cum Baronio [1] interpretabitur primum hunc fuisse censuum sub Quirinio proprætore habitorum. Nihilo

[1] Apud Casaubonum, o. c., Exercit. I, 31.

demonstratur Judæos sub Herodibus tributum certum contulisse, a romanis legatis exactum. De hac re nihil, nisi manca quædam testimonia, apud Josephum habemus. Anno 691, tributum regioni et Hierosolymis a Pompeio imperatum est [1], sed nescimus quid fuerit hoc tributum, annon semel indicta pecunia sit, quæ quotannis sine censu penderetur [2], sicut Carthagine post bellum punicum secundum [3]. Anno 697, A. Gabinius Palæstinam in quinque juridicos conventus (συνέδρια) divisit, ita ut Judæi unius dominatione liberati ab optimatibus regerentur [4]; quod non sine censu municipali fieri potuit. Sed quanquam longum post tempus, redacta Judæa in provinciam romanam, iterum administratio aristocratica in oppidis Judæorum [5] facta est, in censu municipali fundata, nobis non constat quidquam fuisse hujus modi, regnantibus Idumæis. Anno enim 707, eis rebus quas Gabinius instituerat finem attulit Cæsar, facto Antipatro procuratore Judææ, cujus Galilæa pars erat [6]. Aliquanto ante Antipater civitate romana omniumque immunitate [7] donatus erat, quæ immunitas ad Antipatri solius personam pertinebat; nam decreto ejusdem anni [8] Cæsar statuit Judæis esse quotannis, excepto anno sabbatico, quartam partem fructuum populo Romano pendendam, non sublatis decuma ad Hyrcanum summum pontificem, nec capitatione [9]. Nescimus quidem quamdiu

[1] Jos. Antt. XIV, 4, 4; B. J., I, 7, 6; cf. Lewin, o. c., 81.

[2] Antt. XIV, 4, 5 πλείω ἢ μύρια τάλαντα Ῥωμαῖοι ἐν βραχεῖ χρόνῳ παρ' ἡμῶν εἰσεπράξαντο.

[3] Liv. XXX, 37; XXXIII, 46; XXXVI, 4.

[4] B. J., I, 8, 5 τῆς ἐξ ἑνὸς ἐπικρατείας ἐλευθερωθέντες ἐν ἀριστοκρατίᾳ διῳκοῦντο. cf. Ant. XIV, 5, 4; Lewin, o. c., 116; Schuerer, o. c., p. 174 sqq.

[5] Antt. XX, 10, extr.

[6] Antt. XIV, 8, 5. 9, 2. B. J. I, 10, 3.

[7] ἀτέλεια πανταχοῦ Antt. XIV, 8, 3; B. J., I, 9, 5; cf. Lewin, o. c., 298; Schuerer, o. c., p. 177.

[8] Lewin, o. c., 300.

[9] Antt. XIV, 10, 6; Marquardt, o. c., vol. I, p. 250; Huschke, o. c., p. 110. E

hoc decretum viguerit, sed constat tributum sic constitutum non ab ipsis legatis populi romani exactum esse. Nam verbis decreti cautum est ut tributum Sidone secundo quoque anno conferretur (ἵνα ἐν Σιδῶνι τῷ δευτέρῳ ἔτει τὸν φόρον ἀποδιδῶσι) ex quo patet, quamvis hoc neget Wieseler[1], romana instituta non in Palæstina sicut in provincia quacumque viguisse, sed vectigal ab Herodis legatis exactum esse, qui id postea quæstoribus populi romani deferrent. Eodem modo, quantum sociis in Asia pendendum esset, statuerat Cæsar, sed eis ipsis commisit ut colligeretur pecunia[2]. Non aliter iterum factum est in Palæstina, anno 711, septingentis talentis a Cassio imperatis, quæ statim Antipater collegit per filios necessariosque aliquos. Bene meritus est in hac occasione Herodes adolescens, centum talentis in Galilæa collectis et ad Romanos allatis[3]. Anno proximo, post prælium apud Philippos, vectigalia ab Antonio in Palæstina exacta esse videntur[4], et Herodes rex a senatu et ab Antonio creatus est ea lege, ut tributum certum penderet[5]. Sed nusquam demonstratur hæc vectigalia a legatis populi romani ipsis

contrario Wieseler (*Beiträge*, p. 76 sqq.) in hoc decreto, cujus verba obscuriora sunt, tria vectigalia distinguit : decumam ad Hyrcanum, capitationem annuam excepto anno sabbatico, quartam fructuum quæ secundo tantum anno locationis (μισθώσεως, cf. Antt. XIV, 10, 5) conferretur, id est, secundo anno cycli sabbatici vel, non plus semel in septennio. Sed, ut facile intelligitur fructuum vectigal anno sabbatico dimitti, ita mirum est vectigales hoc anno capitatione liberari.

[1] In *Stud. und Krit.*, 1875, p. 541 sqq.

[2] App. de Bell. civ. V, 4. Τῶν δὲ ταῦτα παρὰ τῆς βουλῆς μισθουμένων καὶ ἐνυβριζόντων ὑμῖν, καὶ πολὺ πλείονα αἰτούντων, Γάϊος Καῖσαρ τῶν μὲν χρημάτων τὰ τρίτα ὑμῖν ἀνῆκεν, ὧν ἐκείνοις ἐφέρετε, τὰς δ'ὕβρεις ἔπαυσεν· ὑμῖν γὰρ τοὺς φόρους ἐπέτρεψεν ἀγείρειν παρὰ τῶν γεωργούντων. cf. Jos. Ant. XIV, 10, 5 ὅπως τε Ἰουδαίοις ἐν τῷ δευτέρῳ τῆς μισθώσεως ἔτει τῆς προσόδου κόρον ὑπεξέλωνται (Hyrcani necessarii, ut videtur,) καὶ μήτε ἐργολαβῶσί τινες μήτε μήτε φόρους τοὺς αὐτοὺς τελῶσιν·

[3] Antt. XIV, 11, 2 ; B. J., I, 11, 2.

[4] App. de Bello civ. V, 7 ; cf. Lewin, o. c., 423.

[5] ἐπὶ φόροις ἄρα τεταγμένοις. App. de Bello civ. V, 75.

exacta fuisse; et quum libertas quædam huic regioni sub Herodibus relinqueretur, contrarie factum esse potius credemus.

Interdum Herodes Magnus Judæos immunitate vectigalium temporaria donat[1]; et, eodem mortuo, conqueruntur Judæi apud Augustum quod in vectigalium collatione ab ejus servis vexati sint[2]. Nos quidem non fugit eodem fere tempore Samaritanos quarta vectigalium parte ab Augusto liberatos esse, propter fidelitatem erga populum romanum[3]; sed hoc uno indicio non demonstratur tributa Romanis exactoribus protinus esse pensa, sed potius diligenter ab Augusto provisum esse, quomodo judaicis rebus ab Herodis filiis procuraretur[4]. Si autem Romani non ipsi pecunias in Palæstina cogebant, census egisse in hac regione non videntur, atque si Cæsaris decretum adhuc sub regibus Idumæis in Palæstina vigebat, parum accurate æstimabant rectores Syriæ num justum frumentum sibi deferretur a Judæis, quod amici nomini collato Herodi ab Augusto accommodatum est[5]. Si census Quirinii a. 759 non primus fuisset in Palæstina post longum tempus actus, non intelligeretur ejus causa Judam Galilæum ad defectionem indigenas excitavisse «ignavos dicentem si Romanis tributum pendere sustinerent[6].» Propter hoc nullo modo negamus tributum certum Romanis ab Herode pensum esse[7], nobis etiam est compertum eumdem donis crebris, quæ sponte sua delata esse viderentur, intolerabiliter populum

[1] Antt. XV, 10, 4; XVI, 2, 5; XVII, 2, 1.

[2] Antt. XVII, 11, 2.

[3] Antt. XVII, 11. 4.

[4] Errat Huschke (o. c., p. 111) quum de Fabato procuratore Cæsaris in Judæa loquitur. Διοικητής quidem (B. J., I, 29, 3) et δοῦλος Καίσαρος (Antt. XVII, 3, 2) erat hic Fabatus, sed videtur munus suum in Arabia apud regem Aretam Æneam exsecutum esse.

[5] Antt. XVI, 9, 3; B. J. I, 20, 4.

[6] B. J. II, 8, 1.

[7] Sevin (o. c., p. 38), ut monstret Judæos nullum tributum certum Romanis pendere, laudat hunc locum ex oratione Herodis ad Judæos (a. 723 teste Lewin o. c.,

vexasse; sed fieri poterat et debebat ut Judæorum plebs non sentiret hanc pecuniam Romanis ad ultimum lucro esse, nec prius seditionem fecerint, quam res cuique patuerit.

Num Judæa ab Herode Magno, jussu Augusti, censa sit.

Itaque si aperte a Luca diceretur censum sub Herode a Syriæ præside Quirinio actum esse, omnino temporum rerumque ordo turbaretur. Sed non hoc a Luca dicitur; nam verba ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου genitivus absolutus sunt, quo tempus, non auctor census designatur : census habitus est Quirinio Syriam obtinente [1]. Quæstio igitur tota est num censum ab Augusto jussum a rege ex familia Herodiana actum esse accipere possimus. Si hoc unquam jussisset Augustus, procul dubio Herodes mandatum perfecisset, quasi vere unus ex procuratoribus fuisset, inter quos repositus erat [2]; Josepho enim auctore, Herodes minime extra jus dominiumque populi romani fuit, qui regnum ei decreverat servabatque. Ne multa, illud Augusti verbum memorabimus quod ad Herodem die quadam scripsit *se eum aliquando in amicis habuisse, nunc vero pro subdito habiturum* [3]. Sed hoc Augustum jussisse num possumus arbitrari? Valde dubium videtur. Auctores qui opinantur censum apud Lucam Herodis tempore habitum esse, nullum testimonium afferre potuerunt, principem census in regnis regum sociorum fieri jussisse, et in alium quidem modum quam in provinciis fiebant [4].

Similium censuum exempla allata.

False, exempli gratia dicitur Palæstinæ censum necessarium

603) ἄξιον ἦν μηδενὶ τῶν ὄντων Ἰουδαίους φόρον ἢ τῆς χώρας ἀπόμοιραν τελεῖν. (Antt. XV, 5, 3.) Sed non ex his verbis constat a Judæis re vera nullum tributum de bonis suis pensum esse Romanis.

[1] Aberle (o. c., p. 23) tamen ultra modum progreditur, quum declarat ob verba Lucæ Quirinium non potuisse censum egisse.

[2] Jos. Antt. XV, 10, 3 Καῖσαρ ἐγκαταμίγνυσι δ'αὐτὸν (Herodem) καὶ τοῖς ἐπιτροπεύουσι τῆς Συρίας, ἐντειλάμενος μετὰ τῆς ἐκείνου γνώμης τὰ πάντα ποιεῖν. B. J., I, 20, 4. κατέστησε δὲ αὐτὸν (Herodem) καὶ Συρίας ὅλης ἐπίτροπον (cf. B. J., I, 11, 4)... ὡς μηδὲν ἐξεῖν δίχα τῆς ἐκείνου συμβουλίας τοῖς ἐπιτρόποις διοικεῖν.

[3] Jos. Antt. XVI, 9, 3.

[4] Huschke, o. c., p. 100.

fuisse, ut a principe in breviario inscriberetur quantum sociorum in armis, quot regna[1]. Nec exemplum Clitarum[2] ab aliis allatum rem convincit. Hoc enim nescimus, an Archelaus ipse rex Cappadociæ eam nationem in modum Romanum censum deferre et pati tributa non coegerit. Tempore quidem antiquissimo, nobis cognitum est in potestate coloniarum latinarum fuisse, ut se ipsas, quemadmodum vellent, censerent, quum formula togatorum semel statutum esset quot milites, quantam pecuniam præbere deberent. A. 550, quum coloniæ duodecim, quod debebant præbere non vellent, jussum est censum in eis coloniis agi ex formula a romanis censoribus data, dari autem eamdem quam populo romano, deferrique Romam a juratis censoribus coloniarum [3]. Quod exemplum, vel invito Huschkio [4], non est magni auxilii ad locum Lucæ interpretandum; nam et valde differunt tempora, et apud Lucam non de formula censuali insueta agitur, quæ populo puniendo imponatur, sed tantum de re nunquam ante facta, de censu primo Augusti jussu in Palæstina habito.

Nusquam autem mentio facta est, ipsis verbis, census in civitatibus fœderatis Augusti jussu habiti, et censum Quirinii a. 759 non solum in hac parte Palæstinæ, quæ in provinciam redacta erat, sed etiam in tetrarchiis Herodis Antipæ et Philippi actum esse, nullo modo certum videtur; etsi argumenta multa, et partim satis valida ad hoc probandum allata sunt, quorum hæc sunt præcipua :

[1] Caspari, o. c., § 30.

[2] Tac. Ann. VI, 41. Per idem tempus (789) Clitarum natio Cappadoci Archelao subjecta, quia nostrum in modum deferre census, pati tributa adigebatur, in juga Tauri montis abscessit : locorumque ingenio sese contra imbelles regis copias tutabatur; donec M. Trebellius, legatus, a Vitellio, præside Syriæ,... missus . . . [eos] ad deditionem coegit.

[3] Liv. XXVII, 9; XXIX, 15. 37; Zumpt, o. c., p. 104, 105 ; Mommsen, *Röm. Staatsrecht*, vol. II, p. 336.

[4] O. c., p. 101.

1° Zumpt [1] ait Judæ apud Lucam (Act. V, 37) et Josephum (Antt. XVIII, 1, 6) Galilæo vocato hoc cognomen non propter originem datum esse, quum Gaulanites, Gamalæ natus esset [2], sed propter regionem in qua seditionem fecisset, unde sequeretur censum anno 759 in Galilæa quoque habitum esse. Sed quum Gamala non procul a Galilæa jaceret, per abusum Judas Galilæus vocari poterat [3], aut poterat antea jam aliquid præclarum in Galilæa fecisse, quod eo verisimilius videtur, quod plerique consentiunt eum non alium esse quam Judam Ezechiæ, qui seditionem apud Sepphorim Galilæorum a. 750 post Herodis Magni mortem movit [4].

2° A Josepho dicitur Quirinius a. 759 in Palæstinam venisse ἀποτιμησόμενος τὰ ἐν Συρίᾳ καὶ τὸν Ἀρχελάου ἀποδωσόμενος οἶκον [5]. Si non lapsu calami Συρίᾳ scriptum est pro Ἰουδαίᾳ [6], his verbis demonstratur censum a Quirinio habitum non ad regionem tantum, quæ ab Archelao regebatur, pertinuisse; sed ita credi potest censum in tota Syria a Quirinio actum esse, ut tetrarchiæ huic provinciæ insertæ non censerentur.

3° Simili ratione cavendum erit in iis colligendis, quæ testatur titulus quidam ab Orsato anno 1719 p. Chr. n. editus, cujus tamen fides nonnullis locis suspecta videtur. Hæc autem sunt ipsius tituli verba, ut apud Orellium [7] leguntur : Q. Æmilius Q. F. || Pal. || secundus || castris divi Aug. || P. Sulpitio Quirino leg. || Cæsaris Syriæ honori || bus decoratus. præfect. || cohort. Aug. I. præfect. || cohort II. classicæ. idem || jussu Quirini censum fec. ||

[1] O. c., p. 191, 192, ann. — [2] Jos. Antt. XVIII, 1, 1.

[2] Sic Ewald, o. c., vol. V, p. 25, n. 2; cf. B. J. II, 8, 1 ἀνὴρ Γαλιλαῖος Ἰούδας ὄνομα, quæ verba conjecturam Zumptii infirmant.

[3] Sic Schuerer, o. c., p. 251; cf. Jos. Antt. XVII, 10, 5; B. J., II, 4, 1.

[4] Jos. Antt. XVII, 13, 5. Cf. indicem lib. XVIII, fortasse quidem non a Josepho scriptum, sed veterem tamen : Κυρήνιος ὑπὸ Καίσαρος ἐπέμφθη τιμητὴς Συρίας κα Ἰουδαίας.

[5] Sic Schuerer, o. c., p. 273, n. 1.

[6] *Inscriptionum latinarum collectio*, v. I, p. 159, tit. 623.

Apamenæ civitatis mil||lium homin. civium CXVII. || Idem jussu Quirini adversus || Itureos in Libano monte || castellum eorum cepit. et ante militiam præfecit fabrum || delatus a duobus cos. ad æ || rarium et in colonia || quæstor ædilis II duumvir II || pontifex. || ibi positi sunt Q. Æmilius Q. f. Pal. || Secundus f. et Æmilia Chia lib. || h. m. amplius h. n. s.

Cujus totius tituli si valet auctoritas, fit admodum probabile Quirinium in tota Syria censum agi jussisse, idque eo fere tempore accidisse, quo bellum in Ituræos inferretur, quippe quum utramque rem illius jussu factam esse constet. At quo potissimum anno bellum in Ituræos illatum sit nec titulus docet, nec memorat, quod sciam, ullus scriptor; nec vero nobis probavit Wabnitz [1] hoc bellum in tempus illarum rerum incurrere debuisse, quas Quirinius ipse adversus Homonadenses gessit annis 751 et 752 U. C. (De qua re vide infra.) Ergo in tali documentorum inopia magis consentaneum fuerit nos arbitrari censum Apameæ jussu Quirinii actum cum illo censu congruere, quem Josephus in tota Syria anno 759 U. C. habitum esse refert.

Ceterum illud prius considerandum erat, num qua titulo deberetur fides, quod negaverant viri epigraphices maxime gnari. Sic loquitur Orelli (l. l.) : « Insigne hoc est monumentum census Quiriniani Luc. II, 1 memorati; modo sincerum sit, de quo subdubitat etiam Marini.... Hodie non amplius exstat Venetiis. Præterea in sinceris titulis P. Sulpicius Quirinius dicitur, non Quirinus. Fictitium censeo. » Sic Henzen [2] : « Recte condemnarat Orellius. Nota præterea consecutionem verborum satis confusam, et cognomen Sulpicii, qui Quirinius, minime Quirinus appellabatur, et dona militaria honores dicta, numerumque

[1] Une inscription relative à un premier recensement de Quirinius, in *Revue théologique de Montauban*, a. 1881, p. 357 sqq.; cf. ejusdem, *Remarques supplémentaires sur l'inscription de Venise et sur un premier recensement de Quirinius*, ibidem, a. 1882, p. 76 et sqq.

[2] *Inscr. lat. coll.*, t. III, p. 58.

I cohorti pone nomen Augustæ adjunctum, præterea insolitum illud *decoratus honoribus castris divi Augusti,* quod intelligi omnino non potest. Observavit denique Borghesius, litteris ad me de hoc titulo datis, verbis *delatus a duobus consulibus ad ærarium* usum quemdam liberæ reipublicæ ad ætatem imperatorum transferri. » Hunc titulum vocat Mommsen [1] monstrum, cujus patrocinium nullus ex peritis unquam susceperit. Non aliter sentiunt Zumpt [2], Gerlach [3], alii, atque omnino subdititius jam putabatur titulus, quum major pars ejus Venetiis a L. Seguso reperta est. Quam his verbis exscripsit Rossi in *Bollettino d'archeologia cristiana* [4].

IDEM
ENSVM · EGI
ENAE · CIVITATIS · MIL
IVM · HOMIN · CIVIVM · CXVII
IDEM · MISSV · QVIRINI · AD · VERSVS
ITVRAEOS · IN · LIBANO · MONTE ·
CASTELLVM · EORVM · CEPI · ET · ANTE
MILITIEM · PRAEFECT · FABRVM ·
DELATVS · A · DVOBVS · COS · AD · AE
RARIVM · ET · IN · COLONIA ·
QVAESTOR · AEDIL · II · DVVMVIR · II ·
PONTIFEX S·
IBI·POSITI·SVNT·Q·AEMILIVS·Q·F·PAL
SECVNDVS · F · ET · AEMILIA · CHIA · LIB
H · M · AMPLIVS · H · N · S ·

[1] *Corpus inscr. lat. cons. et auctor. Acad. litt. regiæ boruss. editum*, vol. V, pars prior (Berol., 1872), inscr. 136 *.

[2] O. c., p. 72.

[3] O. c., p. 37-39.

[4] A 1880, fasc. III-IV.

Hanc inscriptionis partem prorsus dignam esse, cui fides adhibeatur asseverat Rossi, quid autem sentiendum sit de priore illa quam per Orsatum novimus, non docet. Pollicitus vero est se mox aliquid de ea re prolaturum, quod nisi exspectaverimus non sine levitatis crimine, nostra quidem sententia, dijudicare possimus utrum inscriptionis parti priori habenda sit fides, an recusanda. Quanquam nos non latet Henzenii animadversiones ad priorem partem fere omnes pertinere, atque ob id ipsum multum utique valere. Quæ quum ita sint, nihil aliud in præsentia quam perpendemus documenta quæ a titulo reperto petita ad nostram disputationem commode adhiberi possint. Quæ vero prope nulla sunt. Nam si prima verba ita legi debent: Idem . . . censum egi . . . enæ civitatis milium hominum civium CXVII, ostendunt nimirum a Q. Æmilio quodam aliquam urbem censam esse, ubi centum et septendecim milia civium habitarent, deinde eumdem hominem Quirinii jussu in Ituræos bellum intulisse. Non sequitur alteram rem cum altera arcte cohærere, aut censum ipsum jussu Quirinii habitum esse. Hic enim census ubi et quando actus sit, non docet inscriptio. Nequaquam igitur apparet ex ea censum a Quirinio anno 759 U. C. actum ad Syriam totam, nedum ad Galilæam ipsam pertinuisse.

3° Narratis censu anni 759 et seditione Judæ Galilæi, pergit Josephus (Antt. XVIII, 2, 1): Ἡρώδης δὲ καὶ Φίλιππος τετραρχίαν ἑκάτερος τὴν ἑαυτοῦ παρειληφότες καθίσταντο, quibus verbis Herodis et Philippi regni initium narrare Josephus non potuit, quum decem jam annos regnavissent. Conjiciunt igitur Herodem et Philippum, dum census Quirinii haberetur imperio amotos, post censum hoc recuperavisse, quum Coponius procurator Judææ crearetur. Unde concludunt censum in Galilæa et in Philippi tetrarchia non minus quam in Judæa propria et in Samaria actum esse. Sed hoc in verbis Josephi non jacet, quippe quibus nihil novi narratur, sed rerum judaicarum status post censum Quirinii descri-

bitur, ut ex imperfecto καθίσταντο patet; παρειληφότες autem plusquamperfecti vim habet.

4° Verbis quoque Josephi : τις ἀνὴρ Γαλιλαῖος Ἰούδας ὄνομα εἰς ἀπόστασιν ἐνῆγε τοὺς ἐπιχωρίους (B. J. II, 8, 1) conclusum est censum in Galilæa actum esse, nullos enim, nisi Galilæos verbo τοὺς ἐπιχωρίους in hoc textu designari posse, sed οἱ ἐπιχώριοι ex ipsa verbi vi non sunt cives Judæ Galilæi, sunt indigenæ regionis in qua actus est census, Judæi ergo potius quam Galilæi.

5° Deinde non probatur actum esse censum in Galilæa ex portoriis quæ evangelistæ testantur in Galilæa æque ac in Judæa fuisse [1]. Minime enim oportet censum agi ut portoria instituantur ; ceterum verisimile est hæc portoria in Galilæa ab Herode Antipa, non a Romanis protinus instituta esse, et tetrarcham per ea pecunias collegisse [2].

Quæ quum ita sint, valde dubium nobis videtur censum a. 759 ad Galilæam pertinuisse. Sed si forte Galilæi tunc censi sunt, nullam ob causam hoc factum est, nisi propter tributum pendendum (quod cum portoriorum institutione cohæreret). Hac ratione igitur intelligere non possumus censum quemdam habitum esse antea, qui utique non propter inductionem tributorum habitus est, quum ex verbis Judæ Galilæi [3] constet ante annum 759 Judæos jamdiu nullum tributum populo Romano ipsi pependisse.

Cur Augustus Palæstinam Herode vivo censeri jubere potuerit.

Hoc solum adhuc quærendum est, qua mente Augustus regnum Herodis censeri voluerit, nulla indictione tributorum adjecta. Herode enim Judæam oppressam tenente, non de municipiis ab optimatibus regendis agi poterat, et Judæi militia liberati erant [4]. Præterea nec tam studiosus cognoscendi vires

[1] Mt. IX, 9 ; Mc II, 14 ; Lc. V, 27-29 ὄχλος τελωνῶν πολύς.

[2] Ewald, o. c., t. V, p. 32, n. 2 ; p. 141, n. 2.

[3] Jos. B. J. II, 8, 1.

[4] Jos. Antt. XIV, 10, 12. 13.

regnorum amicorum esse potuit Augustus[1], nec tantum superbiæ Herodis frangendæ cupidus[2], ut eum ob has causas aliquid tam insuetum fecisse credamus. Opinantur Ebrard, Wieseler, Tholuck, Augustum jussisse Herodem censum agere quoniam mox vellet Judæam in provinciam redigere, sed nihilo constat regno Herodis exeunte hoc Augustum voluisse. Nec etiam fingere possumus principem, quod resedisset amor in Herodem[3], anno 747 censum jussisse, qui agi cœptus sit[4]; minime enim intelligere possimus de hac tanta re Josephum nihil dixisse. Ceterum si re vera voluisset Augustus Judæam imperio romano adjungere, non apparet cur censum ante adjunctionem ipsam fecerit. Anno 759 non prius censum a Quirinio agi jussit, quam Archelaus in Galliam relegatus ejusque cives socii facti fuerint. Alii arbitrati sunt principem censum jussisse, quod hoc tempore capitationem in Palæstina instituere[5], aut jam tempore Macedonum institutam restituere voluerit[6]. Certum habemus per Josephum[7] tributum viritim regibus Seleucidis a Judæis pensum esse, sed ante redactionem in provinciam non poterant cogi hoc pendere populo romano, qui has habebat notas captivitatis[8]. Quum capitatio tributum (φόρος) esset, et ob eam maxime causam seditionem fecisset Judas Galilæus, quod Romani tributa exigere vellent, verisimile est tributum quod Cæsari postea denario solutum est (Mt. XXII, 17-19; Mc XII, 15; Lc. XX, 24) in Palæstina non ante annum 759 pensum esse, et post Quirinii descriptionem ins-

[1] Casaubon, Meyer (comm. I ad h. l.), Winer *(Realwörterbuch*, sub v. *Schatzung*), Ewald. (O. c., t. V, p. 141.)

[2] Hess, *Lebensgesch. Jesu* (Zürich 1826), vol. I, p. 54.

[3] Jos. Antt. XVI, 9, 3.

[4] Lewin, o. c., p. XXIV.

[5] Zumpt, o. c., p. 197 sqq.

[6] Huschke, o. c., p. 110, 122.

[7] Antt. XII, 3, 3.

[8] Tertull. Apol. 13.

titutum esse. Quod minime discrepat, ut Zumpt arbitrari videtur[1], a verbis Josephi, qui, ut demonstret quæ res fuerint in Oriente Quirinio mandatæ, eum τιμητὴν τῶν οὐσιῶν nominat[2]; mentio est enim sub imperio populi romani, inter reliqua tributa, præter capitationem, tributi pro singulis ædibus[3], quod colligi non potuisset sine opera alicujus τιμητῇ τῶν οὐσιῶν.

De testimoniis ex Josepho pro censu et contra censum haustis.

Quanquam difficile reperimus cur Palæstina Augusti jussu ante exitum Herodis censenda esset, fatendum est tamen hoc nequaquam fieri non potuisse; nescientes etiam qua occasione et quem ad finem census actus esset, actum fuisse negare non possemus, si quod testimonium certum tantæ rei afferretur. Num igitur sit aliquid hujusmodi quærendum est. Id reperit von Gumpach[4] in Jos. Antt. XVIII, 1, 1, quæ interpretatio tam mira est ut non refellenda sit a nobis. Animadvertendum est tantum Gumpachio, capite proximo, legendum esse Ἐλεάζαρον pro Ἰωάζαρον[5], quod legitur in omnibus codicibus, nec ullo modo absurdum est[6]. Aliud testimonium invenit P. Allix[7], quem secuti sunt Wetstein, Huschke, Guettée[8], Ewald[9], Lewin[10], qui omnes putaverunt propter censum Judæos jurasse a. 748 aut 749 se Cæsaris regisque rebus fauturos esse[11]; sed qui Josephum legit nusquam suspicari potest hoc in censu quocumque juratum esse, nec opus erat censum agi ut pateret sex millia Pharisæorum jurare non voluisse. Demonstrationem tandem Wieseleri[12]

[1] O. c., p. 201.
[2] Antt. XVIII, 1, 1.
[3] Antt. XIX, 6, 3.
[4] *Stud. und Krit.*, a. 1852, p. 676 sqq.
[5] Cf. Lewin, o. c., 952.
[6] Cf. Schuerer, o. c., p. 418.
[7] O. c., p. 18 sqq.
[8] *E. Renan devant la science*, p. 149.
[9] O. c., t. V, p. 142.
[10] O. c., 867.
[11] Antt. XVII, 2,4.
[12] *Beiträge*, p. 96 sqq.

docentis narrationem Josephi Antt. XVIII, 1, 1 ac seditiones ipsas Judæ et Matthiæ testimonium esse censuum antea factorum fortius refutavit Schuerer[1], quam ut disputationem redintegrare oporteat.

Ne multa, circumscriptis locis Luc. I, 5 et II, 1, 2 quos aliter interpretari fortasse fas est, ut postea ostendemus, nullum indicium est censum ab Augusto jussum, Herode Magno adhuc vivente, in Judæa actum esse; sunt autem quædam indicia censum nullum fuisse. Quum enim, Herode Magno defuncto, non solum Archelaus principi Herodianæ pecuniæ rationes[2] miserit, quibus publica vectigalia æstimari poterant, sed etiam Augustus sibi litteras a Varo præside Syriæ et a Sabino procuratore mitti jusserit, quantum pecuniarum annuique reditus esset[3], non est credendum Augustum hæc desideravisse, si census certis temporibus in Judæa habitus, vel etiam si extra ordinem census non multo ante actus esset. Quæ de hac re Rösch[4] Sevinio[5] opposuit nobis parvi momenti videntur : de re familiari Herodis quasi a Palæstinæ vectigalibus distincta agi non potest, nam nulla harum rerum separatio fuisse videtur, quod ostenditur regionis æstimatione habita, quum inter regis heredes divisa est[6]; et litteræ ipsæ Vari et Sabini non ex censu antea acto scriptæ esse possunt, quo, etiamsi jam anno 747 habitus esset, inutiles essent factæ. Ceterum censum fuisse ante annum 759 Lucas ipse nescire videtur, apud quem sic loquitur Gamaliel (Act. V, 37): Μετὰ τοῦτον (Theudam) ἀνέστη Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς κ. τ. λ. Patet enim hic de censu anni 759 agi, nemo enim Quandtio[7] assentiri poterit seditionem a Gamaliele laudatam tu-

[1] O. c., p. 276.

[2] τοὺς λογισμοὺς τῶν Ἡρώδου χρημάτων. Jos. Antt. XVII, 9, 5.

[3] ὁπόσα τε χρήματα ἦν καὶ τί ἐπ' ἔτος ἐφοίτα. Antt. l. l.

[4] *Stud. und Krit.*, a. 1875, p. 587 sqq.

[5] O. c., p. 38.

[6] Jos. Antt. XVII, 11, 4, 5. — [7] O. c., § 13.

multum esse, qui post mortem Herodis Magni excitatus sit a Juda Ezechiæ, eamque jam propter censum evenisse. Nam Josephus, qui tumultum narrat [1], ejus causam non omisisset, quippe qui causam posterioris seditionis (a. 759) narraverit. Census igitur anni 759 a Luca vocatur ἡ ἀπογραφή, quo demonstratur nullum alium censum ei vel notum esse, vel majoris momenti visum. Qui census autem maximus esse potest, nisi primus, a quo series orta est, et cujus causa tumultus in populo nondum huic rei assueto excitatus est ?

De forma census apud Lucam.

Quæ refutare conatur Wieseler [2], docens non hujusmodi fuisse formam censualem prioris illius census, ut ad rebellionem Judæi excitarentur, id est formam romanam adhibitam non esse. Jamdudum enim demonstrare conati sunt nonnulli, quum aliter censum actum narret Lucas, ac usus esset apud Romanos, Palæstinam tunc adhuc sui juris fuisse, nec omnino populo romano obnoxiam. Hanc explicationem tamen multa impediunt, et causam cur Joseph Bethlehem venerit, census tempore, difficillime rerum quas Lucas narrat intelligimus et recipimus. Si enim intelligendum est Joseph coactum esse ut in Bethlehem profiteretur, quod e gente et familia David esset, valde mirabile hoc munus videtur. Etsi parum nobis est notum quomodo in provinciis romanis census haberentur, scimus tamen eos per conventus actos esse [3], et credendum est socios e sedibus suis non excitos esse, nisi ut in caput conventus ad profitendum irent [4]; sed Bethlehem caput conventus Galilæorum esse non poterat, neque hoc ullo modo dicit Lucas, sed originem causam indicat, cur Joseph eo se contulerit. Scimus etiam, legibus quæ postea latæ sunt, possessori agri profitendum fuisse in loco ubi ager esset, etsi non hic

[1] Antt. XVII, 10, 5; B. J., II, 4, 1.
[2] *Synopse*, p. 104.
[3] Marquardt, o. c., t. II, p. 208.
[4] Zumpt, o. c., p. 186.

habitaret [1], sed alia est causa itineris Joseph apud Lucam.

Aliquid simile factum esse in Palæstina opinatur Huschke [2] atque olim in Italia erga cives coloniarum latinarum et post legem Juliam municipalem erga cives romanos qui non Romæ, sed in suis civitatibus censebantur [3]; non autem municipii civis fiebat habitatione, sed nativitate, aut adoptione, aut manumissione [4]. Similitudinem autem non cernimus, quum non dicat Lucas Joseph Bethlehem esse natum, sed eo ascendisse quod e familia genteque David esset. Zumpt autem [5], ut jam Hess [6], postea Wieseler [7], Ebrard [8], Ewald [9] hoc iter esse factum suspicantur, quum præcipue judaico modo ageretur census; neque a priori negavimus censum a legatis regis et judaico modo sub Herode Magno aut ejus filiis agi potuisse. Pro certo autem scimus in censibus judaicis populum in tribus et familias divisum esse [10]. Sed hæc ipsa divisio populi per gentes familiasque tam salva tempore Christi fuisse non videtur, ut hoc modo census agi tunc potuerit, nec videmus unquam coactos esse Israelitas singulos eo se conferre, unde orta esset familia; de hac re enim non agitur in magna a David jussa descriptione [11]. Grotius [12] et Zumpt [13] quidem decla-

[1] *Dig. de censibus*, lib. L., t. XV, 4, § 2: Is vero qui agrum in alia civitate habet, in ea civitate profiteri debet, in qua ager est; agri enim tributum in eam civitatem debet levare, in cujus territorio possidetur. Hoc ab Ulpiano scriptum est initio sæculi tertii; nescimus vero quo tempore hæc forma censualis usurpari inceperit, quam Schuerer (o. c., p. 264) opinatur adhibitam esse jam initio temporis imperatorum.

[2] O, c., p. 118, 119.

[3] Liv. XLII, 10; cf. XXXIX, 3.

[4] Dig., l. L, t. I, 1: Municipem aut nativitas facit, aut manumissio, aut adoptio.

[5] O. c., p. 195.

[6] O. c., p. 54, 55.

[7] *Synopse*, p. 105 sqq; *Beiträge*, p. 44 sqq.

[8] O. c., § 40, 1.

[9] O. c., t. V, p. 141.

[10] Num, I. III, 14-37; XXVI; Esdr. II, 1-63, Neh. VII, 5-65.

[11] 2 Sam. XXIV, 1-9; 1 Chron. XXI, 1-6.

[12] O. c., ad Lc, II, 3.

[13] O. c., p. 214.

rant partitionem in tribus, gentes, familias post multas Judæorum disjectiones fieri non potuisse, nisi singuli se ad loca conferrent, quæ olim genti ac familiæ suæ obvenissent. Sed hoc ipsum difficillimum esse debebat plerisque Judæorum ut oppidum reperirent quo se conferrent, et vix credendum est Joseph coactum esse census causa Bethlehem proficisci propter atavum David, cujus familia ante multa sæcula oppidum deseruerat. Concedere magis possimus Joseph delegisse Bethlehem, ut ibi censum deferret, quod sibi magni æstimaret in oppido regis clarissimi, atavi sui, censeri. Num vero facultas erat, sive lege romana, sive usu judaico, oppidum deligendi, ubi unusquisque professurus esset? hoc etiam concesso, potuitne Joseph sponte sua consilium capere ut cum uxore gravida iter operosum inciperet?

Quum hæc opinio vix verisimilior sit quam altera, confitendum est fortasse causam itineris non satis aperte a Luca significatam esse. Hanc autem nostro tempore conjicere patet nos non posse, neque hoc tentare volumus. Sed aliquam fingere non sit difficile. Dici possit exempli gratia Joseph a David ortum Bethlehem agri possessorem fuisse[1], vel ibi natum esse. Quas causas si fingamus, satis clarum est cur iter fecerit Joseph, quum perpauca de censibus judaicis et de censibus in provinciis romanis nobis comperta sint. Si etiam magis a Lucæ narratione discedamus, dici poterit Joseph non ad censum spectasse, quum iter fecerit, sed eum, quum quamcumque ob causam Bethlehem census tempore cum uxore venisset, ibi professum esse. Argumentis autem omissis, quæ an vera sint nequaquam adhuc explorari potest, animadvertendum est Lucæ narratione nullo modo monstrari Joseph et Mariam in Bethlehem peregrinos et ignotos esse, quum vox κατάλυμα hospitium quodcumque significare possit, tum publicum, tum etiam ab amico præbitum.

[1] Quo argumento utitur ratiocinatio Wallonii (o. c., p. 334-336); idem apertius declarat Ebrard. (O. c., § 40, annot. 2.)

Ut difficillime intelligi videtur ex ipsa narratione Lucæ cur Bethlehem se contulerit, ita facillime intelligimus Mariam cum conjuge iter fecisse. Non videtur coacta fuisse; nam (Romæ saltem) patrefamilias nomen uxoris jurejurando profitente, non ipsa census particeps fiebat, nec eo quod mulieres in Syria capitationem pendebant [1] fit ut ipsæ censum deferre deberent. Sed quum hoc a Luca nullo modo significetur, fieri potest ut Maria sponte sua, quanquam erat gravida, Joseph comitari voluerit, et hoc eo minus impedimento est, quod nescimus quamdiu Joseph et Maria ante Jesum natum Bethlehem manserint. Nihil igitur concludendum est, nisi, quum dicatur Joseph in Bethlehem professus esse cum Maria, indicium hoc esse census habiti lege romana : apud Judæos enim non videntur mulieres censæ esse [2]. Forma censuali ergo non potest probari censum a Luca narratum habitum esse ante redactionem Judææ in provinciam.

In summa, si ordine singula quæque, a Luca narrata, persequamur, nulla re perdifficili impediti sumus, et quæstione una omissa de forma censuali, hæc habemus comperta, partim cum historicorum testimonio congruentia, partim hac demonstratione, quod talium rerum proprium est, carentia, sed nullo modo propter hoc improbanda :

1° Imperatorem Augustum jussisse imperium totum censeri.

2° Hoc effectum esse, quod ad Judæam saltem attineat.

3° Hoc tempore Joseph et Mariam Bethlehem censos fuisse, unde atavus David esset, sive propter censum ipsum, sive propter aliam nobis ignotam causam eo sese contulerint.

[1] Dig., lib. L, tit. XV, 3 : In Syriis a quatuordecim annis masculi, a duodecim feminæ usque ad sexagesimum quintum annum tributo capitis obligantur (Ulp.). Cf. Zumpt, o. c., p. 203; Huschke, o. c., p. 123; Wieseler, *Beiträge*, p. 47 sqq.

[2] Ex. XXXVIII, 25, 26; cf. Knobel, *Kurzgefasstes exegetisches Handbuch zum A. T.* ad h. l.; Hausrath, o. c., t. I, p. 303.

Quo tempore autem hic census in Judæa actus sit maxime quærimus, nec adhuc compertum est. Versus I, 5 tempus ante exitum Herodis Magni indicare videtur; Maria autem censa, tempus post redactionem Judææ in provinciam. Res utique non dilucescet antequam de tempore quo Quirinius Syriam obtinuit certiores fiamus.

CAPUT IV

De tempore quo P. Sulpicius Quirinius legatus Syriam obtinuit, Palæstinamque descripsit.

De censu Quiriniano a Josepho memorato.

Postquam Archelaus, qui patri suo Herodi Magno successerat, e regno in exsilium pulsus est, in Orientem misit Augustus P. Sulpicium Quirinium[1], qui Judæam in provinciam romanam redigeret, et hac occasione data censum bonorum ageret. Qui census in Syria tota fortasse actus est, et non solum ad bona, sed etiam ad homines pertinuit. Res illa, de qua Gamaliel postea locutus est coram synedrio (Act. V, 37), causa fuit seditionis cujus dux exstitit Judas Galilæus, et origo quartæ factionis, vel, ut Josephi verbis utamur, quartæ φιλοσοφίας Judæorum, id est partium zelotarum, quibus implacabile odium erat cujusve alius dominationis ac Dei[2]. Hoc autem evenisse anno tricesimo septimo post

[1] Sive Quirinum; de qua re cf. Gerlach, o. c., p. 36 sqq.; Huschke, o. c., p. 60, ann. 154; Nipperdey, ad Tac. Ann. III, 48. Ego secutus sum lectionem N. T. Κυρήνιος.

[2] Jos. Antt. XVIII, 1, 1, 2. 6; B. J., II, 8, 1. 2.

prælium Actiacum testatur Josephus [1], id est inter d. IV non. sept. a. 759 et kal. sept. a. 760 [2]; nec causa ulla est cur de hoc testimonio dubitetur. Hoc tantum quæri potest, quo nomine Quirinius has difficillimas res agere jussus sit. A Josepho enim eam rem non accurate docemur, Quirinium nominat ἄνδρα ὑπατικόν [3], δικαιοδότην τοῦ ἔθνους [4], τιμητήν [5], dicit eum missum esse ἀποτιμησόμενον τὰ ἐν Συρίᾳ [6], ἀποτιμησόμενον αὐτῶν (id est Judæorum) τὰς οὐσίας et τιμητὴν τῶν οὐσιῶν γενησόμενον [7]. Quirinium vocat Justinus Martyr procuratorem Judææ [8], quod plane contra Josephum dicitur, qui asserit [9] primum procuratorem Judææ in provinciam romanam redactæ missum esse Coponium; sed quum Josephus narret Quirinium et Coponium in Orientem, Palæstina ad Syriam adjecta, simul venisse, facile errare poterat Justinus. Nuper contendit Aberle hoc tempore Quirinium Judæam non obtinuisse, et idcirco Lucæ testimonium in aliud tempus cadere. Hoc primo admonet plerumque, et etiam quotiescumque res nobis narratur, censum in provinciis a legatis Cæsaris censuum accipiendorum agi, deinde verbo δικαιοδότης apud Josephum, quod latine *juridicus* vertendum sit, potestatem juris dicendi designari, disjunctam a potestate præsidis provinciæ; Quirinium igitur non fuisse legatum Cæsaris pro prætore Syriæ provinciæ, sed legatum Cæsaris provinciæ Judææ juridicum et censuum accipiendorum. Plura tamen exempla clarissima affert Marquardt [10], in quibus pa-

[1] Antt. XVIII, 2, 1.

[2] Wieseler (*Stud. und Krit.*, a. 1875, p. 544, ann. 1) putat censum in autumno anni 759 actum esse.

[3] Antt. XVII, 3, 5.

[4] Ibid. XVIII, 1, 1.

[5] B. J., VII, 8, 1.

[6] Antt. XVII, 13, 5.

[7] Ibid. XVIII, 1, 1.

[8] Apol. I, 34 ὁ ὑμέτερος ἐν Ἰουδαίᾳ πρῶτος γενόμενος ἐπίτροπος.

[9] Antt. XVIII, 1, 1; 2, 2.

[10] O. c., t. I, p. 411, ann. 6.

rum subtiliter δικαιοδότης vocatur rector provinciæ, et demonstrat juridicos de quibus loquitur Aberle non ante Adrianum imperatorem creatos esse. Ceterum magistratui simul juris dicendi et census habendi potestatem fuisse, imperium autem, quod verbis ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας significatur, defuisse, maxime mirum est[1] faleturque ipse Aberle[2] se hujus rei nullum aliud exemplum afferre posse. Nobis ergo videtur, ut plurimis historiarum scriptoribus et existimatoribus, Quirinium Syriam obtinuisse annis 759 et sequentibus inter L. Volusium Saturninum et Q. Cæcilium Metellum Creticum Silanum[3]. Sed non fieri non potest eumdem Quirinium jam antea Syriam obtinuisse, quanquam fatetur Mommsen[4] « qui legationem iterarit, in titulis præter hunc, quod sciat, memorari nullum. » Re ipsa, multi scriptores qui nequaquam huc spectant ut Lucæ narrationem defendant, conantur ostendere Quirinium primum annis 751 et 752 Syriam post Quinctilium Varum obtinuisse.

Testimonia pro Quirinio bis rectore Syriæ allata.

Hunc locum Taciti primum argumentum afferunt: « Sub idem tempus[5], ut mors Sulpici Quirinii publicis exsequiis frequentaretur, petivit [Tiberius] a senatu. Nihil ad veterem et patriciam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium : sed impiger militiæ, et acribus ministeriis, consulatum sub divo Augusto, mox, expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus; datusque rector C. Cæsari Armeniam obtinenti, Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat. Quod tunc patefecit[6] in senatu, laudatis in se

1° locus Tac. Ann. III, 48.

[1] Cf. Sal. Reinach, *Manuel de philologie*, p. 260, ann. 1, p. 276.

[2] O. c., p. 14.

[3] Tac. Ann. II, 4. 43; Jos. Antt. XVIII, 2, 4; cf. Mommsen, *Res gestæ*, p. 215; Schuerer, o. c., p. 165. Lewin, o. c. 1012. 1046.

[4] *Res gestæ*, p. 112.

[5] A. 774 coss Tiberio IV Druso II; cf. Tac. Ann. III, 31; Lewin, o. c., 1134 *a*.

[6] Riess I, p. 70, verbo *patefecit* subjectum dat *Quirinius*, quo fit ut is suam ipse laudationem funebrem dixerit.

officiis, et incusato M. Lollio, quem auctorem C. Cæsaris pravitatis et discordiarum arguebat[1]. »

Quirinius igitur bellum in Cilicia aut potius ultra, super (quod conjecit Haupt pro *per*) Ciliciam, Ciliciam transeundo, ut intelligit Mommsen[2], adversus Homonadenses gessit[3], quod bellum Mommsen demonstravit a nemine gestum esse posse, nisi a Syriæ præside. Sed cur hoc bellum a. 759, quo Quirinius certe Syriam obtinuit, gestum esse non credamus? Non est apud Tacitum in voce *mox* hærendum[4]; quum enim a. 742 consul fuerit Quirinius utique post novem annos insignia triumphi adeptus est; ceterum *mox* usurpari potest eodem sensu quo *deinde*[5]. Rectius animadvertunt Schuerer[6], Zumpt[7], Lewin[8] Tiberium vel Tacitum significare videri, ipsa orationis compositione, illud bellum gestum esse post consulatum Quirinii, sed antequam C. Cæsar Armeniam obtinuerit, id est ante annum 756[9] vel 755[10]. Hoc dubitari non possit, si compertum habeamus Tiberium vel Tacitum res temporum ordine exponere voluisse, sed num hoc voluerit alteruter eorum dubium remanet, quum omnimodo plura absint honorum cursu, nec etiam indicetur quam provinciam pro consule Quirinius obtinuerit[11]; præsertim non est omittendum prius

[1] Tac. Ann. III, 48.

[2] *Res gestæ*, p. 121.

[3] De qua re cf. Strabonis Geogr. XII, 6 : *καὶ τοῦτον μὲν* [Amyntam regem] *ἐκεῖνοι* [Homonadenses] *διέφθειραν. Ἐκείνους δὲ Κυρίνιος ἐξεπόρθησε λιμῷ, καὶ τετρακισχιλίους ἄνδρας ἐζώγρησε, καὶ συνῴκισεν εἰς τὰς ἐγγὺς πόλεις· τὴν δὲ χώραν ἀπέλιπεν ἔρημον τῶν ἐν ἀκμῇ.*

[4] Aberle, o. c., p. 35.

[5] Cf. lexica ad h. v. et Suet. Nero VI : C. Cæsar ... intuens Claudium patruum suum, a quo mox principe adoptatus est. (Id est, ex c. VII, post undecim annos.)

[6] O. c., p. 162.

[7] O. c., p. 62.

[8] O. c., 955.

[9] Mommsen, *Res gestæ*, p. 123.

[10] Lewin, o. c., 984.

[11] Cf. Ewald, o. c., t. V, p. 19, ann. 2.

dici eum apud C. Cæsarem in Armenia fuisse, quam memoretur ab eo Tiberius Rhodi cultus, quanquam ille in mense augusto anni 755, et antequam Caius in Armenia res composuerit, ab Oriente profectus est[1]. Mommsen, ut hoc impedimentum vitet, interpunctione mutata, scribit : « datusque rector C. Cæsari Armeniam obtinenti. Tiberium quoque Rhodi agentem coluerat, quod tunc patefecit » ; opinaturque Tiberium nihil in senatu dixisse, nisi se a Quirinio Rhodi cultum esse. Sed ex verbis quæ sequuntur (incusato M. Lollio, quem auctorem C. Cæsaris pravitatis et discordiarum arguebat), constat Tiberium de munere Quirinii quoque locutum esse, quod apud juvenem C. Cæsarem in Armenia gesserit, videturque omnia laudasse quibus functus sit ille cui publicas exsequias a senatu peteret. Si credamus hoc Taciti caput quasi epitomen orationis a Tiberio in senatu habitæ esse, ibique res eodem ordine narratas esse quo evenerint, assentiendum est Zumptio[2], Aberlio[3], Lewinio[4], Keimio[5], docentibus Quirinium rectorem datum esse C. Cæsari simul atque decreta est illius in Armeniam missio, ante profectionem ipsam. Non autem nobis valde probanda videntur quæ Zumpt explicat, hanc suam opinionem cum Taciti participio præsenti congruere posse, quum declaret Quirinium datum esse rectorem C. Cæsari Armeniam *obtinenti*. Verisimilius nobis videtur Tacitum vel Tiberium res non temporum ordine narravisse[6], sed primo honores publicos Quirinii, scilicet consulatum et insignia triumphi, eorumque causas memoravisse, deinde ad finem officia ejus privata,

[1] Casaub. ad Suet. Tib. XIV ; Lewin, o. c., 980 ; Zumpt, o. c., p. 66 ; Mommsen, *Res Gest*, p. 123.

[2] O. c., p. 69.

[3] O. c., p. 39.

[4] O. c., 955, 963.

[5] *Geschichte Jesu von Nazara*, t. I, p. 402, ann. 1.

[6] Pernici oratione varia gesta Quirinii perstringit, de intervallo temporum quo illa distincta fuerunt minime sollicitus. (Allix, o. c., p. 33.)

et ea quæ ad imperatoris personam pertinerent. Non igitur narratione Taciti, si eam cum testimonio Josephi comparemus, efficitur Quirinium in Homonadenses bellum gessisse antequam rector C. Cæsaris fuerit, et Syriam ante annum 755 obtinuisse.

2° Titulus Tiburtinus.

Alterum indicium Quirinium Syriam bis obtinuisse, quod nobis majoris momenti videtur[1], titulus est Tibure repertus a. 1764, primum a. 1765 editus, postea a Sanclementio[2], ab Henzenio[3], a Bergmannio[4], a Mommsenio[5], ab aliis denique pluribus[6].

LGEM · QVA · REDACTA · INPOT
AVGVSTI · POPVLIQVE · ROMANI · SENAT
SVPPLICATIONES · BINAS · OB · RES · PROSP
IPSI · ORNAMENTA · TRIVMPH
PRO · CONSVL · ASIAM · PROVINCIAM · OP
· DIVI · AVGVSTI TERVM · SYRIAM · ET · PH

In quem titulus inscriptus sit, nomine deleto, nescimus, sed nobis compertum est :

1° Eum nationem quamdam sub imperium populi Romani subjunxisse, quam ob rem binæ supplicationes, et ipsi ornamenta triumphalia decreta sunt a senatu.

2° Eum proconsulem fuisse Asiæ.

3° Eum bis fuisse legatum Augusti in Syria. Quod continua serie factum esse non potest, ut sæpe in proconsulibus, quia nulla lege statuebatur quamdiu legati Cæsaris cum imperio essent, proconsules autem in provinciis senatoriis solum tempore

[1] Nullo tamen alio indicio uti volunt Zumpt (o. c., p. 48-62), Schuerer (o. c., p. 162), Wabnitz (l. l.), nisi Taciti verbis, ut ostendant Quirinium bis Syriam obtinuisse.

[2] *De vulgaris æræ emendatione*, 1793, p. 414.

[3] *Supplementum ad C. I. L.*, N° 5366.

[4] *De inscriptione latina ad P. Sulpicium Quirinium referenda*, Berol. 1851.

[5] *Res gestæ*, p. 111.

[6] Reperitur quoque in novissima editione Meyeriani commentarii.

certo manere poterant. Auctores tamen quidam, Strauss[1], Ad. Hilgenfeld[2], Rod. Hilgenfeld[3] suspicantur *iterum* non cum *Syriam* quod sequitur, sed cum *leg. Aug. pro pr.* quod antecederet, si titulus integer esset, jungendum esse, hominem ergo de quo agitur bis quidem fuisse legatum pro pr., sed non bis in hac eadem provincia.

4° Eum legatum post mortem Augusti decessisse, aut saltem ei post mortem principis monumentum erectum esse, quoniam illi *divi* Augusti nomen sit.

Nullum virum illustrem ad quem quatuor illæ notæ pertineant sive ex auctorum testimonio, sive ex aliis titulis aperte cognoscimus, sed jamdudum quæsitum est qui rector Syriæ hæc fecisse possit. Proposita sunt nomina trium hominum :

1° Putat Huschke[4] titulum in M. Agrippam inscriptum esse qui re vera Syriam intra annos 731 et 741 obtinuit[5]. Cui opponitur nobis satis notam esse vitam Agrippæ, ut asserere possimus eum nunquam proconsulem Asiæ fuisse[6], et ante Augustum obiisse.

2° Suffragium fert Zumpt[7] pro C. Sentio Saturnino, quem dicit Syriam a. 725-731 et 745-748 obtinuisse. Re vera auctoribus aliis nobis compertum est Saturninum rectorem Syriæ fuisse a. 746 et, ut videtur, annis posterioribus[8], atque insignia triumphalia

[1] *Die Halben und die Ganzen*, p. 73-79.

[2] *Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie*, a. 1865, p. 412.

[3] Ibid., a. 1880, p. 106.

[4] O. c., p. 68 sqq.

[5] Jos. Antt. XV, 10, 2 ; XVI, 3, 3 ; cf. Mommsen, *Res gestæ*, p. 113, 114 ; Schuerer, o. c., p. 159 sqq.

[6] Legendum censet Huschke (o. c., p. 65, 69, ann. 181 , p. 70) *Asiam omnem* et omnes Asiæ (vocis sensu latiori) provincias quæ a senatu pendentes a proconsulibus regebantur intelligendas esse ; cf. Jos. Antt. XV, 10, 2 : Ἀγρίππας τῶν πέραν Ἰονίου διάδοχος Καίσαρι.

[7] O. c., p. 84 sqq. ; cf. ejusdem *Comm. epigr.*, II, 122 sq. et *Evang. Kirchenzeitung*, a. 1865, p. 966 sqq.

[8] Dicit etiam expresse Tertullianus (adv. Marc. IV, 19) eum Judæam censuisse

adeptum esse[1]. Sed minime post Augustum mortuus esse videtur, quum ejus mortem non memoret Tacitus. Denique scimus [2] eum, postquam Syriam annis 746 et proximis obtinuerit, missum esse in Germaniam, ubi usque ad a. 759 mansit, hoc est iis ipsis annis, quum Syriæ præesset is cujus nomen hic quæritur, nam illorum tantum annorum rectorum Syriæ nomina ignoramus, et specialiter ante annum 731, quo Agrippa rector factus est, Syriam obtinuit Varro quidam [3].

3° Æstimant Sanclemente, Borghesi, Henzen, Nipperdey, Mommsen, alii, de Quirinio agi in titulo Tiburtino. Scimus enim eum propter Homonadenses devictos insignia triumphalia adeptum esse; creatus fuit consul a. 742, et fieri potest ut pro consule Asiam obtinuerit. Obiit anno 774 [4], ergo post exitum Augusti; nihil denique impedit quin suspicemur eum antequam Syriæ rector creatus sit a. 759, ut a Josepho narratur, jam primum legatum Cæsaris in hac provincia fuisse.

Quum ita doctissimi viri de hoc titulo sentiant, objicitur nihil tale narrare Tacitum et Josephum. Hic non solum nus-

quum Jesus natus sit, sed magis singulare est hoc indicium quam ut nobis prodesse possit, et id, qui verum esse putant (Gerlach, Huschke, Zumpt) vix ad Lucæ testimonium accommodare possunt. Alio loco enim (adv. Jud. 8) Tertullianus tempora dinumerans ex Luca III, 23 et III, 1 arbitratur Jesum natum esse anno quadragesimo primo postquam Augustus primum consul creatus fuerit, id est anno 751-752. Hoc autem tempore Sentius Saturninus non jam rector erat, quo apparet non inter se congruere quæ docet Tertullianus. (Cf. Zumpt, o. c., p. 5, 6.) Si quis ea inter se, ratione habita Lucæ testimonii, accommodare velit, dicendum erit Saturninum, postquam Syriam obtinuerit, legatum extra ordinem censum egisse sub Quirinio rectore (sic Aberle, o. c., p. 11), quod etiam parum verisimile est, non enim intelligi potest eum ad hæc munia vocatum esse, postquam legatus Cæsaris in Syria summis honoribus defunctus sit. De testimoniis Patrum quæ ad temporum descriptionem in vita Jesu pertinent, cf. Rösch in *Jahrb. für deutsche Theol.*, a. 1866, p. 3 sqq.

[1] Dio Cass. LV, 28.

[2] Vell. Pat., II, 105.

[3] Jos. Antt., XV, 10, 1 ; B. J., I, 20, 4.

[4] Tac. Ann. III, 48.

quam dicit Quirinium bis Syriæ præfuisse, sed hoc penitus nescivisse videtur, nam eum post exsilium Archelai inducit quasi persona omnino nova esset, cui nihil adhuc cum Judæis commune fuisset [1], et alio loco [2] seditionem Judæ refert factam esse, non Quirinio primum aut iterum Syriam obtinente, sed tantum tempore Quirinii, ἐπὶ Κυρηνίου. Lucas item non docet Quirinium bis in Oriente cum imperio fuisse, non aliter Justinus Martyr [3] et Eusebius [4]. A nemine Patrum, quem sciam, dicitur Quirinium bis Syriam obtinuisse, quæ opinio non prius exstitisse videtur, quam titulus Tiburtinus repertus ac a Sanclementio enodatus est [5].

Qui ab utrisque proposita pensare, vel aliquid novi de titulo Tiburtino excogitare volet, peritus antiquitatum romanarum et rerum illius sæculi esse debet. Itaque eo magis cavebimus ne hoc faciamus, quod, si quis ostendat titulum Tiburtinum ad Quirinium pertinere, non ipso facto demonstraverit Judæam jam ante annum 759 censam fuisse. Primo ostendere debebit vocem *iterum* in titulo cum voce *Syriam* jungendam esse. Nam si jungatur cum verbis deletis *legatus pro prætore*, de Quirinio quidem agi potest, non autem declaratur eum bis rectorem fuisse Syriæ. Rud. Hilgenfeld (l. l.) arbitratur eum primo Ciliciam obtinuisse, et sic Homonadenses devicisse. In hac re non solum quæritur utra interpretatio ad titulorum sermonem magis apta sit, sed etiam num Cilicia sub Augusto provincia esset a Syria distincta; quod negat Mommsen, asserunt autem Strauss et Hilgenfeld. Si Mommsenio assentiamur Ciliciam par-

[1] Antt. XVIII, 1, 1.
[2] B. J., II, 17, 8.
[3] Apol. I, 34, 46; Dial. c. Tryph. 78.
[4] Hist. eccl. I, 5.
[5] Hic ipse doctus homo non proprie declarat Quirinium bis Syriæ præfuisse, it potius in sententiam Bezæ, Grotii, etc., Quirinium fuisse, quum Jesus natus sit, legatum censuum accipiendorum in Judæa; item Picot, *Tablettes chronologiques*, t. II, p. 1; Lenglet-Dufresnoy, *Tabl. chron.*, t. II, p. 1.

tem fuisse Syriæ et Quirinium bis Syriam obtinuisse asserenti quærendum est quo tempore prius hanc provinciam habuerit.

Quando prius Quirinius Syriam regere potuerit.

Tentavit H. Gerlach[1] probare Quirinium Syriæ primum præfuisse una cum Varo, id est annis 748-750[2]. Non rationem habet talia opinans verborum Lucæ, cui dicendum esset, non ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, sed ἡγεμονευόντων τ. Σ. Κυρηνίου καὶ Οὐάρου. Ceterum non acceperunt auctores harum rerum periti eamdem provinciam a duobus rectoribus cum æquo imperio rectam esse. Dicit quidem Josephus[3] Volumnium et Saturninum una ἡγεμόνας vel ἐπιστατοῦντας τῆς Συρίας fuisse, sed alio loco[4] accuratius dicit Volumnium procuratorem, Saturninum vero rectorem sine collega fuisse. Hoc exemplo, quum auctore Josepho[5] et nummorum nota[6] pro certo sciamus Varum maximum imperium habuisse in Syria, Quirinius, si eodem tempore in provincia fuisset, non ampliorem potestatem habuisset, quam procuratoris, quod cum Lucæ verbis non congruit. Etenim Pilato, qui procurator tantum fuit, nomen est ἡγεμόνος vel ἡγεμονεύοντος τῆς Ἰουδαίας, sed quum re vera maximum imperium in hac provinciæ parte haberet, omnino res inter se differunt.

Nec Aberlio[7] magis possumus assentiri Quirinium a principe Syriæ rectorem designatum esse post Varum, sed Romæ mansisse, dum antecessor loco ejus provinciam regeret. Constat Taciti testimonio[8] talia evenisse sub Tiberio, sed quum expresse dicat Tacitus hanc rem novam et suspicione ac dubitatione Tiberii effectam esse, non licet credere Augustum eadem fecisse.

[1] O. c., p. 33 sqq.
[2] Item jam Beza in Annotationibus ad N. T. (Ed. 1598.)
[3] Antt. XVI, 9, 1. 2.
[4] B. J., I, 27, 2.
[5] Antt. XVII, 5, 2; 9, 3; 10, 1. 9; 11, 1.
[6] Vide Eckhel, *Doctr. Num. vet.*, t. III, p. 275.
[7] O. c., p. 30 sqq.
[8] Ann. I, 80,

Josephus docet Syriam obtinuisse novissimis annis, quum adhuc viveret Herodes Magnus, M. Titium usque ad 746 [1]. C. Sentium Saturninum ab anno 746 usque ad a. 747 aut 748 [2], post hunc, sine intervallo, ab anno 747 aut 748, P. Quinctilium Varum [3] qui, seditione in Judæa post mortem Herodis (anno 750) facta [4], non inferiores partes ibi sustinuit. Silentio præterit Josephus quo anno Varus provinciam reliquerit, nec tradit nomen alicujus eorum qui Syriam Archelai tempore obtinuerunt; postquam vero ille regno pulsus sit, narrat idem Quirinium eo missum et Judæam censam esse. Inter Varum et Quirinium provinciam habuisse L. Volusium Saturninum anno tricesimo quinto post prælium ad Actium, id est anno 757-758, ex nummo Antiocheno scimus [5]. Restant septem anni, 750-757, quo tempore fieri potest ut primum provinciam obtinuerit Quirinius, titulo Tiburtino teste. Mommsen et Schuerer suspicantur, etsi libros hujus temporis proprie auctores afferre non possunt [6], dum C. Cæsar in Oriente fuit (752-756 [7]), neminem alium nisi eum Syriæ præ-

[1] Sic Schuerer (o. c., p. 160) et Mommsen (*Res gestæ*, p. 93). Zumpt tamen (o. c., p. 27) et Lewin (o. c., 816, 817) opinantur M. Titio Saturninum successisse anno 745, Huschke (o. c., p. 160, ann. 153) anno 744, Aberle (o. c., p. 24) anno 743 aut 744, sed omnes consentiunt nullum inter eos fuisse intervallum. Ante M. Titium dicit Mommsen (*Res gestæ*, p. 114) provinciam rexisse M. Tullium Ciceronem filium oratoris, Schuerer autem Titium proxime Agrippæ successisse (731-741). Inutile est antiquiora repetere.

[2] Jos. Antt. XVI, 9, 1; XVII, 1, 1; 2, 1.

[3] Antt. XVII, 5, 2. Quid censeas de Sattlero (l. l.) qui hunc locum apertissimum minime respiciens Quirinium proxime post Sentium Saturninum Syriæ præfuisse asserit?

[4] Antt. XVII, 9, 3; 10, 1. 9; 11, 1.

[5] Eckhel, o. c., p. 275, 276.

[6] Auctores habent Zonaram (X, 36), qui asseverat Augustum nepoti imperium pro consule dedisse, et Orosium (VII, 3), qui scribit Caium missum esse « ad ordinandas Ægypti Syriæque provincias. » Suetonius autem (Tib. XII) dicit tantum eum « Orienti præpositum esse. »

[7] Lewin, o. c., 962-991. (Cenotaphium Pisanum.)

fuisse. Zumpt[1] contra, cui assentitur Aberle [2], arbitratur tum obtinuisse Syriam Caii rectores et comites ei ad res Orientis componendas datos, id est Quirinium [3], M. Lollium[4] et fortasse Censorinum [5]. Utrumcumque verum est, non definitur quis Syriam habuerit annis 751 et 752, et fieri potest ut hoc tempore prius rector fuerit Quirinius. Hoc solum interest Mommsenio auctore, Quirinium anno 752, quum in Orientem missus sit C. Cæsar, provincia cessisse; Zumptio autem et Aberlio auctoribus, uno vel duobus annis diutius cum imperio fuisse.

Mommsen igitur titulum Tiburtinum, ut sequitur, restituit[6]:

P. Sulpicius. P. f. Quirinius cos. . . . pr. pro consul Cretam et Cyrenas provinciam optinuit . . . legatus pr. pr. divi Augusti Syriam et Phœnicem optinens bellum gessit cum gente Homonadensium quæ interfecerat Amyntam regem, qua redacta in potestatem dicionemque divi Augusti populique romani, senatus dis immortalibus supplicationes binas ob res prospere ab eo gestas et ipsi ornamenta triumphalia decrevit; pro consul Asiam provinciam optinuit, legatus pr. pr. divi Augusti iterum Syriam et Phœnicem optinuit.

Curriculum autem ipsum vitæ Quirinii Mommsen, ut sequitur, variis testimoniis habitis, exponit :

Quirinius post peractos ordine minores honores[7] prætorius pro consule Cretam[8] et Cyrenas administravit, et in eo magistratu Marmaridas et Garamantes fortasse anno 734 domuit [9].

[1] O. c., p. 41 sqq.
[2] O. c., p. 38 sqq. Item Lewin (o. c., 955), quod ad Quirinium attinet.
[3] Tac. Ann. III, 48.
[4] Ibid., Suet. Tib., XII.
[5] Vell. Paterc. II, 102.
[6] *Res gestæ*, p. 126.
[7] Jos. Antt. XVIII, 1, 1.
[8] Legitur apud Mommsenium Cyprum, non Cretam, lapsu typographico, ut opinor.
[9] Florus II, 31.

Deinde a. 742 consul factus est. Pro consule Asiam obtinuit aut inter a. 747-750, aut inter a. 753-755, et Tiberium Rhodi degentem ea occasione videtur coluisse. Legatus Augusti pro prætore Syriæ et Phoenices a. 751-752 Homonadensibus in Pisidia victis duas supplicationes et ornamenta triumphalia meruit. C. a. 755-757 Æmiliam Lepidam uxorem duxit, cui mox repudium misit ob partum suppositum [1]. A. 756 rectoris loco cum C. Cæsare in Armenia fuit. Ex a. 759 iterum Syriæ legatus præfuit [2]. A. 769 in urbe fuit et M. Drusus Libo propinquus ejus per eum extremas preces ad principem mandavit [3]. Item a. 773 interfuit accusationi Lepidæ quondam uxoris propter crimen illud olim commissum. Senex a. 774 diem obiit et publice elatus est [4].

Num Quirinius Herode vivo Syriam regere potuerit.

Fieri igitur potest ut Quirinius prius Syriæ annis 751 et sequentibus præfuerit. Si hoc concedamus, quod indiciis quibusdam non ex Lucæ narratione haustis nititur, multo minus differunt tempora quum Quirinius Syriam obtinuit et quum Herodes Magnus regnavit, non autem omnino inter se congruunt, mortuo Herode Magno vere anni 750 [5]. Zumpt autem, quum hac re nitatur, aliquanto probabiliorem facit opinionem eorum qui putant censum inceptum esse vivo adhuc Herode, et confectum sub rectore Syriæ Quirinio; dicit enim censum Saturnino provinciam obtinente, anno 748 cœptum esse, et Quirinio eamdem obtinente, anno 750 finem habuisse, et sic non diutius quam duos aut tres annos durasse. Keil [6] hoc tempus etiam minuit quum Tertulliani testimonium omittat et suspicetur censum sub Varo rectore, exacto admodum regno Herodis, inceptum, per

[1] Tac. Ann. III, 22, 23; Suet. Tib., XLIX.
[2] Et tunc censum a Josepho memoratum egit.
[3] Tac. Ann. II, 30.
[4] Tac. Ann. III, 48.
[5] Lewin, o. c., 915; Schuerer, o. c., p. 222, ann. 5, etc.
[6] O. c., p. 213 sqq.

seditiones quæ mortem ejus secutæ sunt suspensum, postea sub Archelao ethnarcha et Quirinio Syriæ rectore repetitum esse. Sed, sicut antea vidimus, non dicit Lucas censum Quirinio provinciam obtinente finitum esse, sed tum habitum esse, unde fit ut Christus, Luca auctore, tempore Quirinii Syriam obtinentis natus sit. Præterea valde mirum esset nihil de hoc censu narravisse Josephum; quum, singulis rebus enarratis quæ ad ultima tempora regni Herodis Magni et ad tumultus factos quum Archelaus princeps creatus esset pertinent, litterarum quoque quas ad Augustum miserant Varus et Sabinus mentionem faciat, hunc inceptum censum omittere non potuisset. Ceterum non valet Keil plus quam alii causas explicare cur Augustus Palæstinam, Herode adhuc vivo, censeri jusserit.

Quo anno Herodes mortuus sit.

Ut Quirinii imperium cum Herodis Magni regno congruat, tentaverunt auctores nonnulli, Seyffarth[1], Rösch[2], Caspari[3], Riess probare Herodem anno demum 753 mortuum esse, sed hoc convincere non possunt, nisi omnem temporum descriptionem in Herodis vita narranda conturbent et Josephum redarguant de rebus quas uberrime refert. Quum de tam periculorum plena opinione disputare non in mente nobis sit, satis erit si unde profecti sint auctores illi indicemus et quæ incommoda maxime sibi afferant adumbremus. Josephus narrat novissimis temporibus vitæ Herodis, quum jam ægrotaret, defecisse lunam[4], quod evenisse constat ex mathematicis rationibus omnium astrologorum aut anno 750 (in nocte post diem IV id. mart.) aut anno 753 (in nocte post diem V id. jan.) Ab hac defectione singula de morbo regis et novissimis rebus ab eo crudeliter factis accurate persequitur : eum decessisse et elatum esse paucis diebus ante Pas-

[1] O. c., p. 80 sqq.
[2] *Jahrb. für deutsche. Theol.*, a. 1866, p. 47 sqq.
[3] O. c., § 29.
[4] Antt. XVII, 6, 1. 4.

cha[1], festo autem die Archelaum filium ejus trucidasse tria millia hominum qui seditionem fecissent[2]. Pascha anni 750 cecidit in diem IV id. apr., pascha anni 753 in diem VII id. apr., si quidem certe satis dies paschatis illorum annorum hodie possit computari, quæ res mihi dubia videtur. Quum enim annus Judæorum ex duodecim mensibus lunaribus constaret, redibat quotannis alio paulum tempore anni quintus decimus dies mensis nisan. Ut rei incommodis occurreretur, interdum mensis tertius decimus intercalabatur, quod tempore salutis non constanti modo fiebat, quum sacerdotes qui fastos componebant rationem maxime haberent quomodo fruges essent, ut ex his verbis talmudicis[3] a Sevinio allatis[4] demonstratur : Rabban Gamaliel (ille ipse qui floruit tempore Christi) sedebat in gradibus templi et scripsit fratribus qui incolebant in Daroma superiore et inferiore et in Galilæa superiore et inferiore, et fratribus captivis Babylone et in Media et in Græcia omnique Israël in captivitate, ubicumque est : « His litteris vos admonemus pullos columbarum agnosque adhuc teneros esse, necdum esse aristarum ætatem maturarum, itaque nobis visum est triginta dies huic anno adjicere. » Qua narratione probatur res hoc tempore adhibitas esse ad dies festos indicendos, quarum rationem nemo adhuc habere possit. Fortasse tamen operæ pretium erit objecta a Seyffarthio aliisque perpendere, ut ostendatur quam levibus rationibus ducti de anno mortis Herodis dubitationes suas attulerint. A defectione lunæ ad pascha anno 750 interfuere novem et viginti dies, anno 753 octo et octoginta dies. Existimat Riess plura et majora a Josepho in hoc spatio temporis inter defectionem et pascha narrata esse,

[1] Antt. XVII, 8, 1 ; B. J., I, 33, 8.
[2] Antt. XVII, 9, 3 ; B. J., II, 1, 3.
[3] Sanh. XVIII, 4.
[4] O. c., p. 138.

quam ut evenerint intra novem et viginti dies, necesse esse ut eo modo tres menses consumpti sint, hæc itaque anno 753 evenisse. At non solum Josephus, quum ordine omnia edoceat, singula narrat quæ fieri potest ut eodem tempore evenerint, sed nos ne fugiat temporibus quibusdam res novas quasi ruere et interdum plura facta esse intra hebdomadem quam alio tempore intra annum. Non singula persequi possumus, sed si perscruteris qua ratione Lewin[1] res intra novem et viginti dies, id est a die III id. mart. usque ad diem IV id. apr. anni 750, describat[2], invenies id non solum fieri posse, sed valde minus mirum esse quam Riessii doctrinam[3], ut omittamus Quandtium[4], qui totum annum (a defectione die III id. mart. a. 750 usque ad pascha anni proximi) ad collocandas has res requirit.

Maxime hæc tria Riessii doctrinæ objici possunt :

1° Expresse dicit Josephus Herodem regem a senatu creatum esse coss. C. Domitio Calvino iterum, C. Asinio Pollione[5], id est

[1] O. c., 905-924.

[2] Item Zumpt (o. c., p. 226 ann.) in præcipuis, singula enim omittit. — « Hic morbus Herodis tantas moras non fert, ut qui pridie lunaris deliquii jam pro mortuo proclamatus in ipsa regia fuerat. Legatur historia totius reliqui morbi ; tota enim una cum profectione transjordana Callirrhoen et cum reditu Hierichuntem, totum hoc inquam, intra viginti dies includi res ipsa clamat. » Hic locus J. Kepleri in libro *De Jesu Christi Servatoris nostri vero anno natalitio* (1606) ab auctore anonymo laudatus est in *Beweis, dass Jesus wenigstens nicht später als zu Anfang des März 4710 Per. Jul. geboren sein könne*, quæ dissertatio in *Studien der evangelischen Geistlichkeit Württembergs*, t. I, p. 50 sqq. reperitur.

[3] Censeamus tamen unum vel duos dies adjiciendos esse ut Herodes Hierichuntem redeat, et in hanc urbem primores Judæorum convocentur (Lewin o. c. 910, 911), qui dies a mansione Callirrhoe demendi sunt.

[4] O. c., p. 11, 17.

[5] Antt. XIV, 14, 5. Consules quidem hi jam non erant, postquam Romam redierant Octavius et Antonius (Dio XLVIII, 32) ; quum autem rite creati essent, annus totus ab eis nominabatur. Paulum errante Josepho in Olympiadibus numerandis (finis enim anni 714 ad Olympiadem centesimam quintam et octogesimam pertinet, non ad centesimam quartam et octogesimam ; cf. Lewin, o. c. 648 ; Schuerer, o. c., p. 184, ann. 2), Riess rem non apertiorem facit, altius imo labitur.

anno 714, et quoniam ab hoc tempore annos septem et triginta regnavit[1], non potest Riess, quum putet Herodem non ante annum 753 mortuum esse, Josephi testimonium accipere. Itaque nonnulla argumenta affert, ut id infirmet atque probet Herodem anno 715 regem Palæstinæ factum esse[2].

A. In libro de Bello Judaico narratur[3] biennio post Antonium in Ægyptum profectum, id est post annum 713[4], Parthos Syriam invasisse, ac Herodem Romam profugisse, ubi rex a senatu, auctoribus Octavio et Antonio, creatus fuit. Unde Riess concludit hanc rem anno 715 confectam esse[5]. Sed hæc verba μετὰ ἔτη δύο, pro quibus Josephus ipse in Antiquitatibus[6] scribit δευτέρῳ ἔτει, non idem significant *post circumactos duos annos;* verti debent : *anno proximo.*

B. Teste Josepho[7], Herodes extremo anno 715 bellum contra Antigonum iniit. Non plus autem septem dies Romæ remanserat antequam in Palæstinam rediret[8]. Nonne igitur Riessio assentiendum est Herodem anno 715 regem factum esse asserenti[9]? Minime, nam a Josepho nihil traditum est de tempore quo Herodes primum Ptolemaidem attigit. Hoc solum scimus, Herodem post adventum in Palæstinam, et antequam bellum iniret « copias non mediocres partim conductitiorum, partim popularium contraxisse[10]. » Qua in re optime potuit aliquot menses consumere.

C. Hoc firmissimo argumento Riess niti videtur[11]. Appiano

[1] Antt. XVII, 8, 1.
[2] Hoc idem docet von Gumpach, teste Schuerero. (O. c., p. 184, n. 2.)
[3] I, 13, 1.
[4] Cf. Lewin, o. c. 434, 439 ; Schuerer, o. c., p. 181, 182.
[5] Riess II, p. 8.
[6] XIV, 13, 3.
[7] Antt. XIV, 15, 1 ; B. J., I, 15, 3. Cf. Lewin, o. c. 485 ; Schuerer, o. c., p. 184.
[8] Antt. XIV, 14, 5 ; cf. Lewin, o. c., 470.
[9] Riess II, p. 4.
[10] Antt. XIV, 15, 1.
[11] Riess II, p. 13, 14.

teste[1], rex Herodes creatus est postquam Puteolis, anno 715 ineunte[2], Octavius et Antonius cum S. Pompeio de pace inter se convenerant. Negari non potest Appianum res sic tradere, sed quomodo in hunc errorem delapsus sit facile explicari potest[3]. Memorat enim nonnullos principes ab Antonio anno 715 creatos esse : Darium scilicet Ponti regem, Amyntam Pisidarum, Polemonem partis Ciliciæ, iisque parum caute Herodem miscet, quanquam anno priore jam rex creatus erat. Quæ Appiani narratio testimonium Josephi multo accuratius infirmare non potest. Eam si velimus sequi, fatendum erit Herodem, non auctoribus Antonio et Octavio, sed solo favente Antonio, regem creatum esse, quam rem narrationi Josephi[4] omnino repugnantem Riess ipse contendere non audet. Ceterum non solum tantum sibi sumit ut, contra Josephi testimonium, asserat Herodem anno demum 715 regem creatum esse, sed etiam, quo illi regnum annorum triginta septem tribuat usque ad 753, initium huic regno dat Riess senatus consultum quoddam anni 716[5], cujus nulla est mentio apud scriptores veteres.

2° Non minus aperte dicit Josephus Herodem Hierosolymam expugnasse coss. M. Agrippa, Caninio Gallo[6], id est anno 717. Sed quum Herodes quatuor et triginta annos post Hierosolymam captam regnaverit[7], non potest Riess temporum descriptionem accipere quam Josephus tradit[8], quamvis diligens sit et sibimet plane consentanea; nos enim docet Josephus Herodem obsidionem incepisse tertio anno postquam Romæ rex

[1] Bell. Civ. V, 75.
[2] Bell. Civ. V, 72-74 ; cf. Lewin, o. c., 477.
[3] Cf. Lewin, o. c., 480.
[4] Antt. XIV, 14, 4; 5. B. J., I, 14, 4.
[5] Riess, I, p. 38 sqq.
[6] Antt. XIV, 16, 4.
[7] Antt. XVII, 8, 1.
[8] Item von Gumpach et Caspari, teste Schuerero, o. c., p. 188, ann.

factus est, λήξαντος τοῦ χειμῶνος, id est vere ineunte[1], ac urbem post quinque menses expugnavisse[2]. Dionis itaque narrationem opponit Riess Flavio Josepho. Ille enim ait[3] Parthos a Ventidio eodem die fugatos esse, quo Crassus ab eis anno 701 pulsus et interfectus erat, id est ante d. V id. jun. Inter omnes convenit Parthos anno 716 pulsos esse; ac post hoc prælium, tempore messis, Joseph Herodis fratrem ab Antigono fugatum occisumque esse[4]. Metunt autem in Palæstina plerumque mense maio. Inde Riess concludit anno 717, verno tempore, necatum esse hunc Herodis fratrem, Hierosolymam autem anno demum 718 expugnatam esse, postquam hiems intercesserit, ut Flavius Josephus ipse docet[5]. Sed nullo modo fieri potest, si eum sequamur, ut credamus triennium bellum durasse, et annum fere totum fuisse inter Parthorum fugam ac Joseph mortem[6]. Itaque crediderimus potius cum Lewinio[7] Dionem parum accurate diem Parthianæ cladis indicasse, ut ultionem Crassi clariorem faceret, hancque pugnam paulo prius ac dicit pugnatam esse. Ceterum hoc quoque Riessio non satis est, Hierosolymam anno 718 captam docere, sed ei contendendum est Josephum ab anno 719, quum nihil jam obstaret Herodi, annos ejus regni numerare (!)

3° Loquitur Josephus de decimo anno regni Archelai[8]; censu

[1] Antt. XIV, 15, 14; B. J., I, 17, 8. Cf. Lewin, o. c., 517.

[2] B. J., I, 18, 2; Antt. XIV, 16, 4. Cf. Lewin, o. c., 522; Schuerer, o. c., p. 186.

[3] Hist. XLIX, 21.

[4] Antt. XIV, 15, 10; B. J., I, 17, 1. Cf. Lewin, o. c., 498, 504; Schuerer, o. c., p. 185.

[5] Antt. XIV, 15, 12; 14. XIV, 16, 4; B. J., I, 17, 6. 8; I, 18, 2. Cf. Lewin, o. c., 510, 517, 522.

[6] Antt. XIV, 15, 7-10; B. J., I, 16, 6-17, 1.

[7] O. c., 498.

[8] Antt. XVII, 13, 2. 3. Dicitur quidem a Josepho (B. J., II, 7, 3) Archelaum pulsum esse anno principatus nono. Novem annos numerare videtur a tempore quo principatum ei ab Augusto collatum suscepit, decem autem ab Herode patre mortuo. (Zumpt, o. c., p. 29; Lewin, o. c., 1011; Sevin, o. c., p. 66.)

autem Quirinii habito anno septimo et tricesimo post prælium Actiacum, regno pulsus esse videtur Archelaus anno 759 aut 760, non postea. Sed si regnum inierit anno 753, non fieri potest ut annus 760 jam decimus regni ejus fuerit. Itaque Riess asseverabat in opusculo priore Judæos[1] annos numeravisse ab Archelao principatum ineunte etiam post Quirinii censum et Judæam in provinciam redactam, donec edictum de exsilio ethnarchæ prolatum est, id est, ut videtur, usque ad annum 761. Sed Josephus dicit : Δεκάτῳ ἔτει τῆς ἀρχῆς Ἀρχελάου οἱ πρῶτοι τῶν ἀνδρῶν... κατηγοροῦσιν αὐτοῦ ἐπὶ Καίσαρος[2], quæ verba cum hac conjectura minime congruunt. Itaque priore sententia parum contentus, Riess in opusculo posteriore[3] contendit censum Quirinii factum esse anno tricesimo septimo æræ ægyptiacæ, cui initium erat, non Actiacum prælium, sed Alexandria expugnata anno 724. Hic igitur, sicut et antea sæpius, Riess Josepho parere non vult; olympiades quidem Josephi ac annos sabbaticos maxima diligentia profitetur respicere, computationibusque admodum implicatis horum indiciorum rationem dare conatur[4]. Qua in re eum sequi nec volumus, nec possumus, hoc unum tantum admonuisse satis erit : locos obscuriores Josephi per lucidiores Riessium non illustrare, lucidiores imo erroris arguere ut spatium det quibusdam conjecturis de obscurioribus, quæ doctissimæ esse possunt, sed ipsæ lucidæ non sunt[5].

[1] Riess I, p. 52.
[2] Antt. XVII, 13, 2.
[3] Riess II, p. 48.
[4] Riess I, p. 43 sq.; II, p. 21 sqq.
[5] Riessianæ obscuritatis hoc unum afferatur exemplum. Sic loquitur in opusculo posteriore : «Herodes hinwiederum war um die Zeit der Niederlage zurück von Samosata, in Antiochien. Es fällt also zwischen seine Reise zu Antonius, dessen Stand vor Samosata in Palästina nicht vor dem Herbst 716 bekannt 'sein konnte, weil Antonius erst im Sommer 716, nach den Nachrichten über den Sieg des Ventidius im Juni 716, von Griechenland aufbrach, und seinen Aufenthalt in Antiochien im zweiten Winter von 716/717. Wenn das nicht sonnenklar ist, so gibt es über-

Hæc omnia prætereamus : omnino non est causa, cur fidem Josephi infirmemus aperte dicentis Herodem Romæ anno 714 regem creatum et Hierosolymam anno 717 captam esse. At si Herodes septem et triginta annos regnavit postquam rex factus est, vel quatuor et triginta post Hierosolymam expugnatam, nonne credendum est eum anno demum 751 mortuum esse [1] ? Non necesse est ita rem sese habuisse, nam Josephus rabbinica ratione utens [2] exactum annum habet quidquid temporis vel ante vel post primum diem mensis nisan, vel etiam kal. jan. reliquum est. Lewin [3] et Schuerer [4] multis exemplis hunc ratiocinandi modum a Josepho adhibitum esse demonstrant, ac in aperto errore versatur Riess, quum eum morem negare vel saltem minuere velit [5]. Herodis igitur regnum non septem et triginta vel quatuor et triginta annos integros implevit, sed Herodes septem et triginta vel quatuor et triginta annis diversorum nominum regnavit, qua tamen ratione ne sex et triginta quidem anni integri, vel tres et triginta efficiuntur. Anno utique 750 mortuus est [6].

haupt für die Chronologie keine Evidenz. » (Ries II, p. 19.) Fateor mihi hæc omnia nullo modo *sonnenklar* esse.

[1] Quandt, o. c., p. 11, 12.

[2] Talm. B. *Rosch ha-schanah*, c. 1, f. 3 : Non numerant in regibus nisi a nisano. Ibid. : Unus dies in anno instar anni computabitur. (Apud Schegg, o. c., p. 28, ann. 2.)

[3] O. c., 511, 925.

[4] O. c., p. 222, ann. 5.

[5] Riess II, p. 42 sqq. Idcirco Riess non potest intelligere quomodo Hyrcanus II quatuor et viginti annos pontifex fuerit (Antt. XV, 6, 4 ; XX, 10) et Hierosolyma ab Herode capta sit post septem et viginti annos ab expugnatione priori, anno 691 facta (Antt. XIV, 16, 4 ; cf. Riess, II, p. 8, 16.)

[6] Nulla ratio inter hunc annum interest et annorum numerum per quos regnavit Antipas, ut Sattler arbitrari videtur (l. l.) ; nullius est igitur momenti ad tempus mortis Herodis Magni definiendum utrum anno quadragesimo tertio principatus sui pulsus sit Antipas a tetrarchia an quadragesimo quarto, quod asserit Sattler nummo fretus quodam a Vaillantio et Gallandio descripto, qui non jam reperiri videtur. (Cf. Eckhel, *Doct. num. vet.*, t. III, p. 486 ; Lewin, o. c., 1610 ; Schuerer,

Ceterum etiam si concedamus anno 751 mortuum esse Herodem, non fieri potest ut eodem tempore vixerit quo Syriam obtinuit Quirinius. Nobis enim est compertum, tempore mortis Herodis Syriæ præfuisse Quinctilium Varum, qui sine intervallo C. Sentio Saturnino successerat. Quo fit ut Riess[1] contendere cogatur Quirinium, quo C. Cæsar ut altero semetipso usus sit, imperium proconsulare habuisse in toto Oriente, et pro hac potestate jussisse censum a Sentio Saturnino tum Syriam obtinente haberi. Hoc autem cum verbis ἡγεμονεύοντος τῆς Συρ. Κυρ. apud Lucam congruere non potest.

Hæc igitur reperimus quæ ad temporum descriptionem pertinent:

I. Non fieri posse videtur ut Judæa censa sit antequam in provinciam romanam redacta est.

II. Si census de quo Lucas loquitur habitus est Quirinio Syriam obtinente, non habitus esse potest regnante adhuc Herode Magno.

Si probentur hæ sententiæ, nullo modo statui potest censum in Judæa ante annum 759 habitum esse.

o. c., p. 236, ann. 2.) Potest, aliis verbis, quæri utrum regno Antipæ finis anno 792 (Schuerer, o. c., p. 246, ann. 1) an 793 (Lewin, o. c., 1592) datus sit; longe vero alia via comperimus ejus patrem anno 750 defunctum esse, quo anno ipse regnum iniisse videtur.

[1] Riess I, p. 70 sqq.; II, p. 64 sqq.

CAPUT V

Quo anno secundum Lucam natus sit Jesus.

Num Lucas sibimetipsi ac Josepho repugnet.

Calvinus[1], quum agnosceret quantum inter se Lucas et Josephus de tempore census abhorreant, inde concludebat erratum esse a Josepho in hac re; quod difficillime convincendum est, quum tam multa ac verisimilia de censu et de toto hoc tempore narret Josephus. Itaque illa opinio non repetita est, et nunc plerique hominum doctorum testimonium Lucæ parvi pendunt[2]. Existimant omnes Lucam, falsa non minus decem annorum digestione, sub Herode Magno aliquid evenisse dicere, quod minime hoc tempore factum esse potest. Non possumus enim Meyero[3] et Winero[4] assentiri putantibus tantum verba ἡγεμονεύοντος

[1] Comm. ad h. l.

[2] Hi sunt præcipui : Strauss, *Vie de Jésus*, § XXXII ; Salvador, *J.-C. et sa doctrine*, liv. II, chap. I ; Renan, *Vie de Jésus*, chap. II; Hase, *Leben Jesu*, §§ 31, 32 ; Keim, *Geschichte Jesu von Naz.*, t. I, p. 398-408 ; Schérer, *Errata du N. T.* in *Revue de théol. et de phil. chrétiennes*, II, 1854, p. 137-141 ; de Wette, comm. ad h. l.; Weizsæcker, sub v. *Quirinius* in Schenkelii *Bibellexikon ;* Gelpke, *Jugendgeschichte des Herrn*, p. 69-71 ; Sevin, o. c., p. 13-43 ; Mommsen, *Res gestæ*, p. 124, 125.

[3] Comm. VI, ad h. l.

[4] Sub vv. *Quirinius* et *Schätzung*, in *Realwörterbuch*.

τῆς Συρίας Κυρ. errore dici. Credunt enim Herode regnante fuisse Augusti jussu si non descriptionem, at saltem *etwas censusartiges*[1], quod ad imperium totum non omissis regnis fœderatis pertinuerit, ei Quirinium præfuisse quod ad Judæam attineat, non ut Syriæ rectorem, sed ut legatum Cæsaris ad census. In quo sequuntur Bezam, Casaubonum, Grotium, R. Simonem[2], etc., hoc tantum concesso, quod illi non concedebant, aliquem errorem jacere in verbis ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας. Sed hoc non est satis, supra monstravimus quam parum verisimile sit Judæam, et omnino regna fœderata Augusti jussu censa esse. Hoc tantum concedi potest in sententiam Bleekii[3], Langii[4], Schleiermacheri[5] fieri posse ut Herode regnante census quidam habitus sit ad Judæam solam pertinens, fortasse census sacerdotalis (Schleierm.), utique sine conjunctione cum Quirinii imperio aut cum Augusti jussu.

Clausus itaque videtur exitus quisque, ut declarat Schuerer[6], rebus omnibus summa cum æquitate, constantia, perspicuitate pertractatis. Attamen Reuss viam nullo modo aspernandam init ut demonstret Lucam sibimet ipsi non discrepare[7]. Hoc enim modo ratiocinatur : non conatur, contortis verbis et rebus, ostendere censum a Luca commemoratum sub Herode Magno habitum esse, sed facillime demonstrat Lucam ipsis verbis nusquam declarare Jesum Christum Herode Magno regnante natum esse, quum illius regis vix faciat mentionem. Contrariæ opinioni

[1] Aliquid quod proprie census non erat, censitionis tamen futuræ quædam quasi prolusio et non obscurum indicium initiumque haberi poterat. (Wetstein, *N. T. gr. cum comm.* ad h. l.)

[2] Le *N. T. de N. S. J.-C., avec des remarques littérales*, Trévoux 1702, ad h. l.

[3] Comm. ad h. l.

[4] *Leben Jesu.*

[5] *Ueber die Schriften des Lucas* in *Werke zur Theologie*, t. II, p. 27.

[6] O. c., p. 286.

[7] Reussii placita allata jam erant a Schweizero in Baurii et Zelleri *Theolog. Jahrb.*, anno 1847, p. 13-15, sed ea non pertractata rejicit et pro rato habet tria tempora diversa in Lucæ narratione notari, quibus Jesus natus esse dicatur.

assentiuntur plerique sive propter testimonium Matthæi, sive propter locum Luc. I, 5: Ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρῴδου τοῦ βασιλέως τῆς Ἰουδαίας ἱερεύς τις ὀνόματι Ζαχαρίας, sed quo jure asseratur his verbis tempus certum nativitatis Christi indicari non videmus. Nihil aliud dicit Lucas, nisi Zachariam sub Herode Magno vixisse. At Zacharias adhuc vivebat quum filius Johannes natus est (Luc. I, 57 sqq.), id est sex mensibus ante Jesum natum vel ante censum Quirinii. Quæ non solum inter se non repugnant, sed etiam unum alterum consequitur. Nam si de censu anni 759 apud Lucam agatur, Zacharias, quoniam senex erat (I, 7) quum ei nuntiatum est filium nasciturum esse, id est anno 758, majorem partem vitæ sub Herode Magno 714-750 agere debuit. Sic non jam discrepat census habitus sub Herode Magno cum Quirinio tum Syriam obtinente. Vertit igitur Reuss[1] Luc. I, 5: Tempore Herodis regis Judææ erat (il y avait) sacerdos quidam cui nomen Zacharias; non aliter Ostervald, Martin, Arnaud, Biblia Genevensis, Oltramare, Segond, N. T. Viviscense (Darby), et vix videtur alio modo verti posse.

De sensu versus Lc. I, 5.

Hieronymus tamen, deinde Biblia Lausannensis, Rilliet, Bonnet, quum verba urgeant, vertunt : Fuit (il y eut) sacerdos; qua versione ostendunt vocem ἐγένετο, quanquam grammatice cum Zacharia, id est cum homine vel hominis vita, jungenda est, tamen ad sensum et in Lucæ mente ad eventum quemdam pertinere. Non sæpe adhibetur in N. T. aoristus ἐγένετο cum personæ nomine in parte subjecti[2], et in locis huic similibus animadvertere licet re vera significari ab auctore non vitam totam, sed vitæ quemdam eventum, etiam subitum, improvisum. Sic Mc. I, 4 ἐγένετο Ἰωάννης ὁ βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ non plane eamdem vim habet quam : Erat Johannes in deserto baptizans, vel

[1] *Histoire évangélique*, p. 121, 142.

[2] Nisi ἐγένετο eodem sensu dicatur quo *natus est* (Rom. I, 3) quod certe hoc loco nemo asseverabit.

Johannes baptizabat (Ostervald, Martin, Reuss), sed quam : Fuit Johannes in deserto baptizans, vel franco-gallice : Jean parut, baptisant dans le désert. (Segond, Oltramare, Rilliet, Bonnet.) A Marco significatur Baptistam hoc tempore in ministerium ingressum esse. Simili modo vertendum ac intelligendum est Jo. I, 6 ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ, sic etiam 2 Pt. II, 1 ἐγένοντο δὲ καὶ ψευδοπροφῆται[1]. Vertit contra Hieronymus Act. IX, 10 ἦν δέ τις μαθητής : erat quidam discipulus, et Act. X, 1 ἀνὴρ δέ τις ἦν ἐν Καισ. : vir quidam erat in Cæsarea[2]. Lucas igitur, quum scriberet ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμ. Ἡρ. ἱερεύς τις ad eventum quemdam narrandum spectabat, non ad vitam totam Zachariæ describendam, quod etiam v. 7 confirmatur. Nam quum Herodes sex et triginta annos regnaverit, non dici potest Zachariam et Elisabeth toto tempore hujus regni senes fuisse, sed senes erant quando id evenit, quod Lucas in mente habebat a v. 5. Quid est autem quod narrare intendebat? Omnes interpretes scilicet, Reussio excepto, respondent Lucam omnes res in mente habuisse quæ ad Jesu pueritiam pertinent usque ad reditum Joseph et Mariæ Nazareth (Lc. II, 39)[3] et sic in quæstiones ineunt, quas supra vix solvendas esse ostendimus. Sed non est necesse ut eo veniamus; quum enim hic Zachariam Lucas commemoret, id facit solum, vel ante omnia, ut annuntiationem ad eum narret, fortasse etiam nativitatem Johannis; quarum rerum prior quindecim mensibus, altera sex mensibus ante nativitatem Jesu evenit. (Lc. I, 26 sqq.) Interea fieri potest ut Herodes mortuus sit; suspicari igitur licet eo regnante nuntium divinum ad Zachariam missum esse, fortasse Johannem natum esse, Jesum Christum vero nondum esse natum. Quæ ratio satisfaciet eis qui existimant Quirinium bis provinciam obtinuisse et bis censum egisse. Sed supra vi-

[1] Cf. Judic. XVII, 1.
[2] Cf. Job I, 1; Judic. XIII, 2.
[3] Sic Huschke (o. c., p. 91) propriis verbis.

dimus quam parum hoc constet, quam verisimile sit Quirinium semel, anno 759-760, censum egisse. Quæ autem quindecim vel sex mensibus ante hunc censum evenerunt, non Herode Magno regnante acta sunt, sed post mortem ejus, ac regnantibus filiis, Archelao in Judæa, Antipa in Galilæa, Philippo in Batanæa.

Oportet igitur, quum Zacharias civitatem Juda incoleret (Lc. I, 39), Lucam versu I, 5 non Herodem Magnum, sed filium ejus Archelaum significavisse, quod per se nullo modo accipi non potest.

Utrum Herodes a Luca (I, 5) laudatus Herodes Magnus sit, an ejus filius Archelaus.

Archelaus quidem ethnarcha, non rex erat, sed rex a Luca vocari optime poterat, quum hoc ei nomen pater Herodes legavisset[1], quum rex in amphitheatro Hierichuntino proclamatus esset[2] et quum Augustus ipse pollicitus esset se eum regem facturum, si dignam rege virtutem præstitisset[3]. Antipas, cui talia nunquam evenerant, a Matthæo (XIV, 9) et Marco (VI, 14, 22 et sqq.) rex appellatur; Archelaum ipsum bis nominat Josephus regem[4], et Matthæus (II, 22) dicit Archelaum βασιλεύειν in Judæa. Cur idem hoc loco factum esse non credamus? Ille tantum offendetur voce βασιλεύς pro ἐθνάρχης, qui existimet Lucam cancellario dignam diligentiam in scribendo adhibuisse[5].

Non difficilius accipias ethnarcham Herodem, non Archelaum appellari[6], quum nummum saltem unum ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡΧΟΥ habeamus[7], qui propter hanc ipsam dignitatem nullius esse potest nisi Archelai. Quin imo, quum semel de Archelao loquitur Dio,

[1] Jos. Antt. XVII, 8, 1; B. J., I, 33, 7.

[2] Jos. Antt. XVII, 8, 2; B. J., I, 33, 8, 9.

[3] Jos. Ant. XVII, 11, 4; B. J., II, 6, 3.

[4] Jos. Antt. XVIII, 4, 3; Vita, 1.

[5] « Canzleimässige Pünktlichkeit, » Aberle, o. c., p. 46.

[6] Cf. quæ de hac re disseruerunt F. de Saulcy et A. Maury in *Athenæum français*, anno 1855, p. 485 sqq., 513 sqq., quanquam nullo modo probandus est Maury quum dicit Ἡρώδην in Act. IV, 27 Archelaum esse.

[7] Eckhel, o. c., t. III, p. 484; Schuerer, o. c., p. 247 ann. 4; Lewin, o. c. 956; Duruy o. c., t. IV, p. 100, nummum talem effingit.

eum Herodem Palæstinensem appellat[1]. Simili modo Antipas et Agrippa major ab ipso Luca non nisi Herodes appellantur. (Lc. III, 19; IX, 7, 9; Act. XII, 6 sqq.) Itaque temporum tantum descriptione discerni potest in N. T. quid ad Herodem Magnum, quid ad Antipam, quid ad Agrippam majorem pertineat. Temporum quoque causa putarunt interpretes plerique regem Herodem apud Lucam I, 5 Herodem Magnum esse, quia Matthæo auctore Jesus sub hoc principe natus est. Sed melius erit hic super sola Lucæ narratione ratiocinari, cui magis consentaneum videri potest Ἡρώδην τὸν βασιλέα τῆς Ἰουδαίας Herodem Archelaum esse quam ejus patrem Herodem Magnum.

Ipsa hæc verba βασιλεὺς τῆς Ἰουδαίας[2] argumento esse possunt ut credas Archelaum sic designari. Etenim vocabulum Ἰουδαία, quod promiscue adhibet Josephus ut Palæstinam totam[3] aut tantum ejus provinciam australem[4] signat, auctores autem græci et latini (Tacitus, Dio Cassius, Strabo) non adhibent, nisi latiore sensu, hanc vim pæne nunquam habet in Novo Testamento et in libris Macchabæorum. Multis quidem locis fieri potest ut alterutro modo intelligatur[5], sed nobis non plures quam quatuor loci noti sunt, ubi Palæstinam totam intelligere necesse sit: Lc. VII, 17; XXIII, 5; Act. X, 37; XXVI, 20 quibus locis curavit Lucas, ad-

[1] Μετὰ δὲ ταῦτα ἐπί τε Αἰμιλίου Λεπίδου καὶ ἐπὶ Λουκίου Ἀρρουντίου ὑπάτων... ὅ τε Ἡρώδης ὁ Παλαιστῖνος, αἰτίαν τινὰ ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν λαβών, ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ὑπερωρίσθη. Hist. LV, 25. 27.

[2] Herodes Magnus apud Josephum appellatur Herodes rex, vel Judæorum rex (Antt. XIV, 1, 3; XV, 10, 5. 11, 4, etc.) nunquam Judææ rex, quod nomen bis tantum apud eum invenimus, scilicet B. J., I, 11, 4, ubi Cassius pollicetur se postea Herodem regem Judææ proclamaturum, non aliter signatis Judææ finibus, deinde Antt. XIX, 8, 2, ubi Herodes Agrippa major, qui re vera tandem omnem regionem ab avo quondam rectam sub ditione habuit, βασιλεύειν τῆς ὅλης Ἰουδαίας dicitur.

[3] Ut Antt. I, 6, 2.

[4] B. J., III, 3, 5.

[5] Mt. XXIV, 16; Mc. XIII, 14; Lc. XXI, 21, et al.

jectivo ὅλη vel πᾶσα addito, ut nomen Ἰουδαία quam latissime pateret[1]. Alibi, ut omnem Judæorum patriam significent, qualis ab Herode Magno regebatur, utuntur auctores sacri nomine *regionis Judæorum*[2], aut enumeratione, sicut Lc. V, 17 ἡ Γαλιλαία καὶ Ἰουδαία καὶ Ἱερουσαλήμ[3]. Videtur igitur Lucas, quum nostro loco de principe Judææ loquatur, principem sic significare qui in Judæa propria regnaret, quod Archelao melius convenit quam patri. Nec obstat Archelaum præter Judæam propriam Idumææ, Samariæ, litori maris[4] præfuisse[5], quum apud Matthæum (II, 22) Archelaus dicatur βασιλεύειν τῆς Ἰουδαίας et Pontius Pilatus, qui regioni quondam ab Archelao rectæ procurabat, apud ipsum Lucam (III, 1) dicatur ἡγεμονεύειν τῆς Ἰουδαίας[6].

De aliis locis Lucæ ad temporum descriptionem pertinentibus 1° de locis Lc. III, 1, 2, 23.

His ergo causis contendere possimus Lucam duobus prioribus capitibus evangelii significare Jesum Christum non sub Herode Magno natum esse, sed novem vel decem annis post ejus obitum, exeunte anno 759 aut ineunte 760, quum Quirinius censum a Josepho commemoratum in Judæa ageret. Sed quæri debet annon alio loco evangelii Lucæ hæc interpretatio impediatur, ac aliud tempus nativitatis Jesu indicetur. Capite III (v. 23), dicit Lucas Jesum circa triginta annos natum esse quum inceperit (ἦν ὁ Ἰησοῦς ἀρχόμενος ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα), scilicet quum prædicare inceperit. Si autem certiores aliunde facti fuerimus quando Christus hoc suum ministerium adierit, ex hoc concludere poterimus quo tempore natus sit, non certo tamen, quum ipsis verbis Lucas moneat se ætatem Salvatoris parum accurate declarare. Sed quo anno collocanda est ingressio Christi in ministerium

1 Fortasse tamen his locis addere oportet Mt. XIX, 1 et Act. II, 9, ubi Judæa tali epitheto caret.

2 Mc. I, 5; Act. X, 39. Cf. Jos. Antt. XV, 9, 5. ἡ τῶν Ἰουδαίων.

3 Cf. Mc. III, 7, 8; Mt. IV, 25; Act. IX, 31.

4 Quod Phœnice vocatur Antt. XV, 9, 6.

5 Antt. XVII, 11, 4; B. J., II, 6, 3.

6 Cf. Jos. Antt. XVIII, 2, 2. 3, 1.

publicum? Neminem fugere potest ministerium Præcursoris, quam rem jam nomen testatur, ante ministerium Christi cœpisse. Lucas autem (III, 1, 2) docet anno decimo quinto imperii Tiberii Cæsaris factum esse verbum Domini super Johannem [1]. Quando autem initium habuerit imperium Tiberii quæstio simplicissima per se ipsa, implicata est multis vanis, minime utilibus conjecturis. Ab excessu Augusti, quum solus suoque nomine regnaverit Tiberius, annos ejus numerari ratione minime mira confitetur Lutteroth [2], quanquam ipse huic rationi non assentitur. Sed satis erit hanc rationem non solum minime miram esse, sed etiam solam in nummis [3], ab auctoribus profanis Suetonio [4], Tacito [5], Dione Cassio [6], Josepho [7], Philone [8], etiam a Patribus Tertulliano [9] et Clemente Alexandrino [10] adhibitam.

Unum indicium annos regni Tiberii aliter numeratos esse re-

[1] Eusebius (H. E., I, 10, 1) dicit Jesum anno decimo quinto imperii Tiberii, quarto procurationis Pontii Pilati baptizatum esse. Quum autem Pontius Pilatus in Palæstinam anno 779 aut 780 advenerit (Antt. XVIII, 4, 2), non congruit quartus annus procurationis ejus cum decimo quinto imperii Tiberii. Præterea satis erit hoc caput Eusebii perlegere ut videas quam parum fidus sit in temporum descriptione.

[2] O. c., p. 64.

[3] Eckhel, o. c., t. III, p. 277; cf. de Saulcy in *Athenæum français*, a. 1855, p. 640. Nummis multis indicantur anni potestatis tribunitiæ (a 748; Eckhel, o. c., t. VI, p. 184 sqq.; Lewin, o. c., 1038 *a* et al.), aliis annus indicatur a Tiberii adoptione, 757 (Eckhel, o. c., t. IV, p. 50; Lewin, o. c., 1016 *a*, 1022 *b*, 1026 *a*), nullis autem certe a tempore quo consors imperii factus est. Duo nummi quos Wieseler commemorat (*Beiträge*, p. 190 sqq.) pro testimonio stare non possunt, quum de eorum auctoritate dubitetur, nec manifestum sit quid eis inscriptum sit. (Eckhel, o. c., t. III, p. 276; Lewin, o. c., 1044.)

[4] Tib. LXXIII.

[5] Ann. VI, 51.

[6] Hist. LVIII, 28.

[7] Antt. XVIII, 4, 6; XVIII, 6, 10; B. J., II, 9, 5; parum discrepat a ceteris in mensium numero.

[8] Leg. ad Caium, c. 21.

[9] Adv. Jud. 8.

[10] Strom., I, p. 339 *b*, editionis Sylburgianæ, Parisiis, 1641.

perimus apud eumdem Clementem[1]. Postquam enim dixit Tiberium duos et viginti annos imperasse, addit nonnullos tamen aliter numerare ac velle imperium ejus sex et viginti annos, sex menses, undeviginti dies durasse. Unde, quum Tiberius die XVII kal. apr. a. 790 mortuus sit[2], concludi potest aliquos putasse ejus regno initium die V kal. sept. a. 763 factum esse, quintum decimum annum vero cum anno 777-778 U. C. congruere. Pilatus autem hoc tempore in Judæa nondum erat, quippe qui ex ea discessit in hieme a. 789-790, Judæa decem annis procurata[3]. Testimonio Clementis igitur non possumus uti ad illustrandum locum Lc. III, 1; neque videmus quomodo aliquantum certo corrigendum sit. Voluit Zumpt[4] annos Tiberii ab anno 764 computare, asserens tunc senatusconsulto decretum esse ut æquum Tiberio jus in omnibus provinciis exercitibusque esset ac Augusto[5]. Sed hujus computationis nullum affert exemplum, neque hoc senatusconsulto Tiberius collega imperii vere factus est. Quanquam enim Tacitus sermone oratorio utens Tiberium sic nominat[6], ex ejus ipsius tota narratione concludendum est illum non prius imperatorem fuisse quam Augustus obierit[7], id est non ante diem XIV kal. sept. a. 767.

Quintus decimus igitur annus de quo apud Lucam mentio est cum 781-782 U. C. congruit. Conantur plerique tempus quo imperare cœperit Tiberius maturius facere ut Jesum sub Herode Magno natum esse dicere possint; nam si Jesus a. 781-782 triginta annos natus erat, necesse est eum a. 751-752 ac post mor-

[1] Strom., I, p. 339 c.
[2] Lewin, o. c., 1500.
[3] Jos. Antt., XVIII, 4, 2.
[4] O. c., p. 284 sqq.
[5] Suet. Tib. XXI ; Vell. Paterc., II, 121.
[6] Ann. I, 3.
[7] Ann. I, 7, 11 sqq. ; Dio Cass. Hist. LVI, 28 sqq. Cf. Lewin, o. c., 1043, 1044, 1048 ; Duruy, o. c., p. 280 sqq.

tem Herodis Magni ortum esse. Itaque Schweizer potuit dicere[1] Lucam, postquam scripserat Christum natum esse sub Herode Magno, ante a. 750, deinde tempore census Quiriniani, id est 759-760, tertium nativitatis tempus, quod medium esset, loco III, 23 indicare. Hac autem ratione uti non licet quoniam Lucas, voce ὡσεί adjecta, nos monuit se annos non accurate numerare. Qui putat Jesum anno 759 aut 760 ortum duos et viginti vel tres et viginti annos natum esse tempore apud Lucam III, 1 memorato versus 23 testimonio non absolute repugnat, nedum hoc faciat qui existimet Jesum sub Herode Magno ortum tunc annos triginta duo natum esse. Quin imo nihilo demonstratur eodem anno secundum Lucam factum esse verbum Domini super Johannem et Jesum baptizatum esse[2]; ac minime mirum esse si longius spatium inter utramque rem intercesserit, optime demonstravit Reuss[3]. Ut hoc capite Lucæ narrantur deinceps Præcursoris vocatio, ejus prædicatio, Jesu baptisma, eodem modo multa apud tres synopticos narrantur, ita ut ex eis computari non possit quamdiu duraverit ministerium Jesu. Nunquam enim hoc agunt ut rationem referant temporum intercedentium, rebus orationibusque inter se incertissime junctis, ut verbis καί, vel δέ, vel μετὰ ταῦτα, vel ἐν τῷ καθεξῆς, vel ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν. Tanta libertate utitur in hac re Matthæus (III, 1) ut verbis ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις reditum Joseph ex Aegypto post mortem Herodis Magni cum prædicatione Johannis jungat, quamvis anni non minus triginta intercesserint. Non ergo statui potest Lucam declarare Jesum triginta circiter annos natum esse, quum verbum Dei quinto decimo anno Tiberii (781-782) super Baptistam factum est.

[1] O. c., p. 15.

[2] Cf. Sevin, o. c., p. 112-114.

[3] Ex loco Jo. II, 20 plerique inferunt Jesum anno 781 ministerium suum iniisse, quæ conclusio nobis parum firma videtur. Ceterum de temporum descriptione ex Luca sumenda disserimus, in qua re fortasse non licet testimonia Johannis laudare, etsi nullo modo sentimus eadem ad historiam non pertinere.

2° De anno mortis Christi secundum Lucam.

Attamen loco III, 23 indicat Lucas aperte Jesum tempore passionis non minus quam triginta circiter annos natum esse. Si possemus ergo reperire quo anno Lucas putet Jesum esse passum, concluderemus satis accurate quo anno, eodem auctore, natus sit. Sed accidit ut minime facilis sit hæc computatio. Ex Luca III, 1, 2 constat non ante pascha 782 Jesum interfectum esse; nec post annum 788 hoc factum esse potest, anno enim 789 Vitellius proprætor Syriæ, quum Hierosolymæ tempore paschatis esset, Caipham summo pontificatu exuit[1].

[1] Jos. Antt. XVIII, 4, 3. Cf. Lewin, o. c., 1495; Schuerer, o. c., p. 255, ann. 2. Schuerer addit cum multis aliis tempore paschatis 789 Pontium Pilatum Judææ non jam procuratorem fuisse. De qua re paucis verbis dicemus sententiam nostram. Josephus enim, priusquam hoc iter Vitellii Hierosolymam referat, narrat Pilatum coactum esse ut Romam proficisceretur; quo concludi potest hanc profectionem re ipsa ante pascha 789 factam esse. Eodem tamen loco dicit Josephus Pilatum Romam properasse, at priusquam Romam appelleret decessisse Tiberium (εἰς Ῥώμην ἠπείγετο... πρὶν δὲ ἢ τῇ Ῥώμῃ προσχεῖν [Sevin : προσσχεῖν] αὐτόν, φθάνει Τιβέριος μεταστάς). Tiberio mortuo a. d. XVII kal. apr. 790 (Lewin o. c., 1500) Pilatus non ante exeuntem annum 789 vel ineuntem 790 Palæstinam videtur reliquisse (cf. Dionem Cassium LIII, 15). Itaque Lewin (o. c., 1493) concludit Vitellium paschati anni 790 post profectionem Pilati interfuisse, paschati vero anni 789 non interfuisse ac tunc Caipham et Pilatum muneribus suis adhuc functos esse. Nihil ergo jam obstare videtur quin Hitzigio (ap. Schuererum, o. c., p. 241, ann. 3) assentiamur dicenti Jesum Christum non ante pascha anni 789 passum esse. Causa tamen est cur hanc conjecturam rejiciamus. Relato enim hoc itinere Vitellii Hierosolymam temporibus paschatis, addit Josephus eumdem rectorem iterum ascendisse Hierosolymam « Deo in festo Judæis patrio quod instabat sacrificaturum; » illic vero, quarto die, litteras obitum Tiberii significantes accepisse. (Antt. XVIII, 5, 3.) Ratione habita diei quo Tiberius mortuus est, conjiciendum est eam ἑορτὴν πάτριον Pentecosten fuisse, quæ Lewinio auctore (o. c., 1498, 1506-1508, 1528) anno 790 a. d. VII id. maias facta est, neque utique antea in anno fieri poterat. Si vero iterum Vitellius Hierosolymæ tempore Pentecostes a. 790 fuerit, primum eo venit ante pascha ejusdem anni, quum Josephus inter duo itinera res nonnullas narret, quæ nullo modo intra septem hebdomades fieri potuerunt. Nonnullæ equidem inter eas res jam ante Vitellii in Orientem adventum evenerunt, ut mors Herodis Philippi (Antt. XVIII, 4, 6; cf. Lewin, o. c., 1454, 1462; Schuerer, o. c., p. 232). Dici igitur licet Josephum, non conservatis notatisque temporibus, inter duo Vitellii itinera Hierosolymam narrare eum amicitiæ causa cum Arta-

Sed inter hos fines caremus indiciis quibus certo dicamus quo anno sit Christus crucifixus. Silentium evangelistarum de Herode Philippo in narranda passione nullo modo demonstrat eum tunc mortuum esse[1]; item, eo quod de Syriæ rectore tacent, non probatur tunc neminem hunc magistratum gessisse[2], nam quum Pilato jus gladii esset, non apparet cur esset causa ad Syriæ rectorem rejicienda. Patres qui de hac re sententiam dixerunt plerique declarant Christum anno 782 (coss. L. Rubellio Gemino, C. Fufio Gemino) crucifixum esse; sed hoc opinari videntur non tam propter testimonium quoddam proprie historicum quam ut locum Lc. IV, 19 (Es. LXI, 2) ex scripto interpretentur. Si uno anno Christus functus sit ministerio quod simul cum Baptista iniisset, concludi potest ex Lc. III, 23 eum anno 783 vel etiam 782 crucifixum esse, inter quos in ambiguo esse videtur Clemens Alexandrinus[3]; anteponunt pascha anni 782 Tertullianus[4], Lactantius[5], Augustinus[6]; Eusebius[7] denique ab his omnibus

bano ad Euphratem congressum esse (Antt. XVIII, 4, 5). Cui assentiuntur Lewin (o. c. 1487) et Schuerer, quorum alter opinatur Vitellium cum Artabano anno 789 congressum esse, alter auctoribus Suetonio (Calig. IV, Vit. II) et Dione Cassio (LIX, 27) non de hac pace nisi Caligulæ jussu actum esse. Fit ergo ut hæc narrata non impediant inter duo Vitellii itinera septem tantum hebdomades intercessisse, quod tamen aliam ob causam minime verisimile fit. Nam quum primum Hierosolymam ascendit Vitellius, Caipha pontificatu summo exuto, in locum ejus Jonatham Anani filium instituit (Antt. XVIII, 4, 3); quum iterum venit « Jonatham ipsum pontificatu abdicavit et fratrem ejus Theophilum in eo collocavit. » (Antt. XVIII, 5, 3.) Si igitur Hitzigio et Lewinio assentientes opinemur Vitellium primum Hierosolymam venisse tempore paschatis 790, credendum erit Jonatham non diutius quam septem hebdomades pontificem fuisse, quod procul dubio factum esse potest, sed mirabilius est quam ut Josepho licuerit causas prætermittere. Summa est Pilatum Romam exeunte demum anno 789 vel ineunte 790 vocatum fuisse, Vitellium autem paschati 789 jam interfuisse; itaque Jesum hoc anno pati non potuisse.

[1] Sevin, o. c., p. 134, 135.

[2] Zumpt, o. c., p. 262 sqq.

[3] Strom., I, p. 340 *A*.

[4] Adv. Jud. 8.

[5] Instit. IV, 10.

[6] Civ. Dei, XVIII, 54.

[7] H. E., I, 10, 1-6.

abhorrens putat quatuor annorum fuisse ministerium Jesu ab anno decimo quinto Tiberii.

Contendit Keim Jesum anno 788 passum esse, computatione per mortem Johannis facta; a Josepho enim narratum esse quosdam ex Judæis existimasse Dei ira periisse exercitum Herodis, qui justas ob interfectum Johannem cognomento Baptistam pœnas daret [1]; hanc autem fugam Herodis Antipæ exercitus ab Areta factam esse anno 788 vel 789 [2], ergo ante hoc tempus Johannem mortuum esse, sed paulo ante, eum enim mortuum esse postquam Herodes Antipas Herodiadem uxorem duxisset filiaque Aretæ, Herodis prior uxor, ad patrem fugisset, quod initium fuit inimicitiarum inter Aretam et Herodem [3]; Johannem ergo exeunte 787 Machærunte interemptum esse, Christum vero ex evangeliorum synopticorum narratione non ita multo post, id est tempore paschatis 788. Sed hæ rationes non admodum firmæ sunt, quanquam nullo modo Sevinio [4] assentimur docenti ex narratione Josephi debuisse Johannem ante nuptias Herodis cum Herodiade interimi; evangelistarum testimonium omnimodo apertum ac per se verisimile nolimus sic infirmare [5], sed idcirco ipsam Keimii ratiocinationem sequi non cogimur. Inter nuptias Herodis et devictum ejus exercitum ab Areta longius tempus intercessisse potuit; nam si nuptiæ Herodis cum Herodiade, Josepho auctore, initium fuerunt inimicitiarum inter Herodem et Aretam, antequam bellum gestum fuerit, accedit contentio de finibus agri Gamalitici, quæ plures annos fortasse duravit; ac Judæis certe licebat arbitrari Herodem devictum ob interfectum Johannem pœnas dedisse, etiamsi septem vel octo anni inter utrumque

[1] Antt., XVIII, 5, 2.

[2] Cf. Schuerer, o. c., p. 242; Sevin, o. c., p. 100. Lewin (o. c., p. 1414) arbitratur Herodem anno 785 victum esse, unde concludendum sit Johannem a. 784, Jesum a. 786 mortuum esse. (Lewin, o. c., 1290, 1443.)

[3] Jos. Antt. XVIII, 5, 1.

[4] O. c., p. 96 sqq.

[5] Cf. Schuerer, o. c., p. 239.

eventum intercesserint, quod exemplo summi pontificis Jonathæ optime demonstratur, cujus ob interfectionem [1] Judæi, Josepho auctore [2], pœnas dederunt, Hierosolyma ac templo post tredecim annos deletis.

Denique propositum est, quod accuratissimum videtur, ut quæratur ad annum quemque, ab a. 782 usque ad 788, in quem diem hebdomadis ceciderit quintus decimus nisan, qui maximus erat festorum dierum paschatis. Consentiunt enim quatuor evangelistæ [3] Jesum Veneris die crucifixum esse aperteque docent tres priores Veneris diem illum cum quinto decimo die mensis nisan congruere, quippe qui narrant cœnam ultimam Christi eamdem fuisse ac cœnam paschatis judaici tempore solito habitam [4]. Si igitur pro certo indicari posset quibus annis quintus decimus dies mensis nisan in Veneris diem inciderit, sic statueretur quo anno ex synopticorum evangeliorum testimonio Jesus mortuus sit. Sed vix fieri posse videtur ut hoc modo aliquid certi demonstretur. Supra diximus quam dubiæ videantur hæ computationes, quibus moderni definire conantur quo die mensis pascha singulorum annorum celebratum sit. Huic proposito accedit nunc ut definiatur quo die hebdomadis sit celebratum. Cui quæstioni quam difficile sit respondere patet ex ipsa diversitate responsorum a doctissimis hominibus datorum [5]. Quos inter dijudicare causam temerarium sit, totaque hæc disputatio nobis omittenda est.

Credimus igitur annum quo Jesus mortuus sit inter 782 et 788 non posse certe indicari, nec hoc modo probandum esse Lucam sentire eum ante a. 759 natum esse. Si Keimio assentiamur dicenti Jesum a. 788 passum esse, et intra unum annum mi-

[1] Anno 810, Lewin, o. c., 1834.

[2] Antt. XX, 8, 5.

[3] Mt. XXVII, 62; Mc. XV, 42; XVI, 1, 2; Lc. XXIII, 54; Jo. XIX, 31, 42.

[4] Mt. XXVI, 17-19; Mc. XIV, 12-16; Lc. XXII, 7, 8.

[5] Wurm, Oudemans, Gauss, Schwarz; quorum habes placita apud Sevinium, o. c., p. 142; cf. Lewin, o. c., 1458, etc.

nisterio functum esse[1], viginti octo annos natus erat quum a Johanne baptizatus est, quod cum Lc. III, 23 utique congruit. Idem etiam fiat, si sentiatur ministerium Christi duos annos vel paulo plus durasse, ne discrepemus a Johannis narratione; quum enim sint triginta anni summa rotundata, verba ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ætatem quamque ab annis quinque et viginti usque ad annos quinque et triginta significare possunt.

Quid Reussianæ interpretationi unice obstet.

Non igitur proprie obstat quod in reliquis partibus evangelii legitur, quin Reussio assentiamur docenti Lucam non significasse Christum sub Herode Magno natum esse; manet tamen aliquid in ipsa narratione census quod hæc interpretatio non explanat, fortasse etiam difficilius reddit. Anno enim 759 Galilæam esse censam una cum Judæa nullo modo demonstratur, ut supra diximus. Mirum igitur videtur Joseph et Mariam propter censum iter ex Galilæa in Judæam facere debuisse, ac itineris ipsa narratio argumento esse potest, ut Kœhler[2] jam animadvertit, ejusdem civitatis ac ejusdem domini tunc fuisse totam Palæstinam, quod non jam erat post mortem Herodis Magni (750). Quum hoc iter, utcumque res sese habent, mirum videatur, jam adducti sumus ad opinionem hic aliquid mutilum esse in rerum expositione et Joseph Bethlehem accitum esse census tempore, quia inde ortus ibi præterea aliquid prædii servasset. Sic nihil contrarie dicet Lucas; quum enim census formula romana haberetur, possessor agri Bethlehemitici hoc loco censendus erat, etiamsi aliud oppidum habitaret, quod non proprie sub ditione populi romani esset.

Quod tamen non efficitur, nisi conjectura quæ nullo verbo Lucæ nititur. Si eam accipere non possimus, concedendum est ex Lucæ narratione non solum censum habitum esse formula potius judaica quam romana, sed etiam Palæstinam tunc unius

[1] Cf. Schuerer, o. c., p. 242, ann. 1.
[2] Herzog, *Realencyclopädie*, sub v. Quirinius.

domini fuisse, censum igitur ante mortem Herodis Magni actum esse. Sic idem (quanquam nullo modo iisdem verbis, via quin imo obliqua) memoriæ traditum erit apud Lucam quod apud Matthæum, Jesum sub Herode Magno natum esse. Sed simul in errore versabitur Lucas, quum hoc tempore censum Quirinii commemoret, re vera novem vel decem post annis habitum. Quo adduceris, Reussii interpretatione relicta, si nihil omnino scripto addere velis; sin vero tantæ contrarietatis notam Lucæ narrationi adjicere repugnet, fatendum erit saltem illum causas migrationis Joseph et Mariæ non satis accurate exposuisse.

Quibus rebus fit ut ex Lucæ narratione non possit pro certo colligi quo anno natus sit Jesus Christus.

ADDENDA ET CORRIGENDA

Pag. 21, lin. 7. Deleas nomen D. Martin, quippe qui verborum Lucæ II, 2 Herwartianam interpretationem in suam versionem nunquam recepit. Hæ sunt antiquissimæ Sacræ Scripturæ versiones gallice scriptæ in quibus eam reperimus :

J. Le Clerc. Le Nouveau Testament de notre Seigneur Jésus-Christ, avec des remarques. Amsterdam, 1703.

Le Nouveau Testament ; traduction nouvelle, revue et approuvée par les pasteurs et professeurs de Genève. Genève, 1726.

de Beausobre et *Lenfant*. Le Nouveau Testament de notre Seigneur Jésus-Christ, avec des notes littérales. Lausanne, 1735. (Editionem principem hujus operis [Amstelod., 1718] inspicere non potuimus).

La Bible..., revue et corrigée sur le texte hébreu et grec par les pasteurs et professeurs de l'Eglise de Genève, avec les arguments et les réflexions... et des notes. Par J.-F. Ostervald. Neufchâtel, 1744.

Pag. 21, ann. 1, lin. 3. Pro *Scaligerus*, lege *Scaliger*.

Pag. 29, lin. 11. Pro *sexagesimus quartus*, lege *sexagesimus septimus*. (Conf. Borghesi, *Œuvres complètes*, tom. IV, pag. 87 ; de Boor, o. c., pag. 26.)

Pag. 29, lin. 15-17. Deleas verba : *Præterea censum habitum esse a. 732 a censoribus Planco et Paulo, qui ex privatis hominibus*

essent, suspicatur Mommsen, una cum annot. 5. Constat enim L. Munatium Plancum et L. Æmilium Paullum a. 732 ultimos fuisse censores ex hominibus privatis (Suet. Claud. XVI; Dio LIV, 2; Vell. Paterc. II, 95), sed eos censum egisse nulla re indicatur (conf. Borghesi, t. IV, pag. 88; de Boor, o. c., pag. 30), nec quidquam tale docet Mommsen, loco laudato. Deceptus sum eo quod dicit de Boor (o. c., pag. 96-97) : « Ultimus autem qui anno 732 interponitur duorum hominum privatorum Paulli Æmili Lepidi et L. Munati Planci census, cum de ipsis censoribus copiose ac luculenter dixerit Borghesius reliquaque omnia plana sint, disputatione non eget. » Sed Borghesi (tom. IV, pag. 75-76) proprie negat censum ab illis actum esse.

Pag. 30, lin. 5. Pro *septuagesimus quintus,* lege *septuagesimus secundus.* (Conf. Borghesi, tom. IV, pag. 88; de Boor, o. c., pag. 33.)

Pag. 30, ann. 8. Pro *vol. II,* lege *vol. I.*

THESES

I

Hæc est summa loci Luc. II, 1-7 :

1° Imperium censeri jussit Augustus edicto.

2° Propter hunc censum sese contulerunt Joseph et Maria Bethlehem, quoniam inde originem trahebat Joseph. In hoc pago natus est Jesus.

3° Census habitus est quum Quirinius Syriæ præesset; eodem tempore Jesus natus est.

II

Versus Luc. II, 2 vertendus est : Hic habitus est census primus Quirinio Syriam obtinente.

III

Nihil obstat quominus Lucas verbis ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην census in provinciis habitos Augusti jussu significare voluerit, licet non omnes eodem anno habiti sint.

IV

Nusquam dicit ipsis verbis Lucas Christum natum esse Herode adhuc vivente. Hoc tamen Lucam existimavisse concludi potest ex itinere quod Joseph et Maria, secundum ejus narrationem, propter censum fecerunt.

V

Quirinium bis rexisse Syriam titulo Tiburtino non certo probatur, locus autem Taciti (Ann. III, 48) rem nullo modo ostendit.

VI

Parum verisimile est Palæstinam Augusti jussu ante a. 759 censam esse.

Vidi ac perlegi
F. LICHTENBERGER
Fac. Theol. Ev. Paris. Decanus.

Typis mandetur
Academiæ Parisiensis rector
GRÉARD

INDEX